









1.

Sp.  
m.  
u.  
ff.  
t.  
st.

p


7

8

1














beise













IOHANNIS STEINMETZI SECVN-  
DI MEDICI ET P.L.C.

ORATIO,

Super Obitu

Reverendissimi, Celsissimiq; Prin-  
cipis ac Domini, Dn.

HEINRICI IVLII,

Postulati Halberstadiensium Episcopi,  
Brunsvvicensium ac Lunæburgen-  
sium Ducis, &c.

Principis sui (heu olim!) clementissimi,

*habita*

*in illustri Iuliâ*

HELMÆSTEDI

IV. Kal. Octobr. Anno 1613.



TYPIS IACOBI LUCL.





*Reverendissimis, Illustrissimis, Celsissimisq̄  
Principibus ac Dominis,*

**D. PHILIPPO SIGISMUNDO,**  
Postulato Osnabrugensium & Vehrden-  
Episcopo; Brunsvvicensium ac Lunæbur-  
gensium Duci, &c.

**D. AVGVSTO, SAXONIÆ,**  
Iuliæ, Cliviæ, & Montium Duci, Landgravio  
Duringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti Marcæ &  
RavensburgI: Domino in Raven-  
stein, &c.

*Illustribus quoq̄, & generosis Comi-  
tibus ac Dominis,*

**DN. ANTONIO GVNTHERO,**  
Comiti in Oldenburgk & Delmenhorst: Do-  
mino in Iever & Kipphausen,

**DN. ERNESTO CASIMIRO,**  
Comiti Nassoviæ, Cattermelenboci, & Decij:  
Domino in Beilstein, Belgarum confœderato-  
rum supremo belli Magistro, &c.

*Principibus ac Dominis meis Clementissimis.*

*hâsce desideratissimi Principis mei exsequias*

*Animo humili & submisso*

*D. D. D.*

*AUTOR.*





Epistola liminaris.

**A**nnus jam effluxit, Reverendissimi ac illustrissimi Principes, illustres & generosi Comites, Domini clementissimi, ex quo nihil tale cogitantem, nihil tale commeritum, in Regiâ Pragâ, illustrissimus ac potentissimus vester HEINRICUS IULIUS, me sibi Medicum, clementissimâ voluntate, adscivit. Arduum sanè munus illud meâq; facultate longè superius. Quia tamen ita DEO; ita magno meo Principi videbatur; non invitus subii, letatus sic occasionem præberi exoptatam, quâ rationibus studiorum, vitæq; meæ magis magisq; consulatur. Sed heu spes meas inanes! Heu deplorandam vitæ humanæ fugacitatem! Non aliter atq; flosculus, primo mane ridens, ab æstu meridiano exurit, aut falce cœcidit resectus: Ita momento mea spes, meum columen, meum post Deum præsidium intercipitur: Princeps clementissimus, inter negotia Romani Imperii gravissima, emoritur. Omnes boni tam subitanè optimi Principis morte doluerunt: omnes subditi



meritò collacrumati sunt, quos inter & nomen  
meum ultrò profiteor. Atq; eà causâ Orationem  
hanc Helmsted I, in inclutâ Iuliâ, non ita pridem  
habui, tam luctus testandi mei causâ, quàm ali-  
quo modo, gratitudinis ac memoria declarande  
gratiâ ergâ optimum Principem, non tam Do-  
minum, quàm Patrem meum colendissimum.  
Eam verò, reverendissimi celsissimiq; Principes,  
illustres ac generosi Comites: Domini mei clemen-  
tissimi, inscriptam V. V. C. C. maximoperè cupio.  
Ut frater, ut consanguineus vester est, de quo di-  
xi, ut familia Principum Brunsvicensium illu-  
strissima est, quam celebrandam aliquâ parte  
mihi sumsi, ita inscriptionem hanc gratam acce-  
ptamq; V. V. C. C. fore planissimè mihi persuadeo.  
Valete in annos Nestoreos, Reverendissimi, Cel-  
sissimiq; Principes, Illustres & Generosi Comites,  
meq; C. C. V. V. commendatum esse patiamini.  
Helmsted I, Anno 1613.


V. V. C. C.

humilimus Cliens

IOH. STEINMETZIUS, Se-  
cundus. Med. & P. L. Cæs.

PRO-





PRORECTOR ET SENATVS  
ACADEMIAE IVLIAE,  
Civibus Academicis

S. D.



Nunquam nimirum, immò satis laudari, neq; à nobis, neq; à quoquam poterit, Reverendissimus & Illustrissimus Princeps noster, hodiè beatissimus, HENRICUS IULIUS. Ea enim animi illius heroici fuit virtus, ea ingenij præstantia, ea denique & corporis & externa bona illi donata & concessa à supremo orbis moderatore fuerunt, quæ vel omnium, qui dicendo aut scribendo valent, ingenia non jam exercere, sed fatigare facile queant: quod non inviti fatebuntur, quotquot ad tam arduum munus laudandi tantum heroa manum admo-  
verint. Invitare fortè neminem non ubertas illa, & copia rerum maximarum ad dicendum; hominem autem non prorsus insanum, aut nimirum sui amantem, & tenuitatis propriæ con-  
-ivlot

A 3

scium,



scium, deterrere etiam magnitudo illa non difficulter possit. Non enim certè, non est cuiusvis, tanti principis laudes dicendo æquare: ut nec quondam Alexandrum pingere aut fingere omnibus erat in proclivi. Itaque ipse quoque Apelli tantum & Lysippo id licere volebat. Et tamen, quid illi tandem artifices, nisi corporis, nisi vultus, nisi oris habitum & lineamenta exprimebant? Quod, quis ita infelix eo in artis genere sibi videatur, qui vel tentare saltem non ausit? At animi indolem, vim ingenij, mentis vigorem, dicendi facultatem, atque, ut de corporis dotibus, & externis nihil dicamus, heroicum illum spiritum, qui è dictis & factis præstantium virorum, adeoque ex ipsa vel tacita specie elucescere solet, quis tandem ita sibi placet, ut scribere tentet, nisi summos illos artifices, qui in hoc genere præstiterunt, æquare se, aut certè non multò inferiorem ijs esse credat? Et cur non igitur tacemus? pietas, lector, & debitum magno Principi studium facere ita nobis non permittit. Cui, quam pro amplissimis ejus & plurimis in nos meritis possumus, animi grati mercedem, vel post fata persolvi-



solvimus. Itaque alij genus ipsius regium, alij virtutes, & in ecclesiam atque Rempub. merita, alij ingenij & corporis præstantiam, alij denique omnia hæc, & si qua possunt alia, quàm possunt disertè, exponunt publicè: id quod diebus hisce audijstis, & porrò deinceps audietis. Hodiè quidem ante meridiem hora IX. vir clarissimus, dn. IOHANNES STEINMETZ Phil. & Med. Doctor, eodem in officij genere industriam suam & studium omnibus nobis publicè probabit. Quod quidem eo esse nobis debet gratius, quòd non solùm ejus rei gratià, ab Illustrissimo Principe ac domino nostro FRIDERICO VLTRICO, ad nos missus est, sed quem tantoperè & desideramus hæctenus & lugemus, Reverendissimo, Illustrissimo HENRICO IULIO etiam, fide & operâ suâ, præsto annis hiscè postremis fuit. Cujus in beatissimum nostrum herosa studium, si quem non commovet, quâ tandem oratione eum excitari posse credamus? Itaque, ut frequentes hodiè, quâ diximus, horâ conveniatis, ne hortandos quidem vos censemus, cum, quid deceat, quid re-  
ctum,



atque, quid honestum, quid pium denique sit,  
imper vos intelligatis. Valet. P. P. IV. Kal.

Octob. cl. Id. c. XIII.



Cicero lib. 1. Tuscul. quaestionum.

*Profecto Mors tum exquisitissimo animo oppeti-  
tur, cum suis se laudibus vita occidens consolari  
potest. Nemo parum diu vixit; qui virtutis per-  
fecta perfecto functus est munere. Multa mihi  
ipsi ad mortem tempestitiva fuerunt: qua utinam  
potuisssem obire: nihil enim iam acquirebatur; cu-  
mulata erant officia vite, cum fortunâ bella resta-  
bant. Quare si ipsa ratio minus perficiet, ut mor-  
tem negligere possimus, at vita acta perficiat, ut  
satis superq; vixisse videamur. Quanquam enim  
sensus abierit, tamen summis & propriis bonis &  
laudis, & gloria, quamvis non sentiant, mortui  
non carent. Etsi enim nihil habeat in se gloria, cur  
expetatur, tamen virtutem tanquam umbra se-  
quitur. Verum multitudinis iudicium de bonis si  
quando est, magis laudandum est, quam illi ob  
eam rem beati.*

ORA-





## ORATIO.



Væ res, *Magnifice Dne. Rector: Reverendi, Amplissimi, Consultissimi, Clarissimiq; viri; vosq; nobilissimi, doctissimiq; adolescentes; quæ res inquam, ex hoc loco dicturis, metum incutere solent, eas vni mihi, ceu agmine conferto, objectas, hoc tempore video. Est loci, & auditorum, ad quos dicitur, dignitas: est argumenti, de quo dicitur, nobilitas: est deniq; mea in dicendi facultate tenuitas. Locus hic, fanè amplissimus, qui, non nisi à viris multijugæ eruditionis supellectile instructissimis, ac laude clarissimis, insideri jam-hactenùs consuevit, quiq; politissimis orationum luminibus, etiam nunc, meo judicio, incalcescit. Sed & auditores video, ex omni parte, adesse eximios, nec modò juvenes, ad optima quæq; natos; & ad summa virtutum cacumina, omni spiritu anhelantes; verùm etiam, viros, in omni disciplinarum genere versatissimos, Famæque præconio, per hanc Germaniam, celebratissimos. Eorum igitur vel intuitu, qui non aliquà perturbetur, equidem puto esse neminem. Maximè, si & spectetur argumentum, quod ad tractandum mihi hoc tempore elegi, id est nimirum, *Illustrissimus ac celsissimus Princeps, ac Dominus, Dominus HEINRICUS IULIUS, postulatus Halberstadiensium Episcopus, Dux Brunsvicensium ac Lunaburgensium, &c. Princeps ac Dominus meus (heu olim!) benignissimus.* Enimverò, quæcunq; in hoc magno Principe, sive antiquitatem generis, & eminentiam; sive Heroicas virtutes, sive potentiam, sive consilia, & egregiè facta mecum perpendo, omnia omninò magna & magnifica sunt, nec à me, in palæstrâ oratorum*

B

torum



torum minùs-exercitato, jamq; luctu insuper & in cœroribus confecto, sed ab aliquo Demosthene, aut Cicerone, aut Pericle redivivo, pro dignitate memoranda. Etsi ergò conscientia tenuitatis meæ, facile me poterat deterrere ab hocce proposito, cum satius sit silere, quàm de magnis tenuiter dicere, laudumq; magnitudinem, Eloquentiæ inopiã deterrere: at rursus tamen non possum non aliquod debitæ meæ submissionis specimen, etiam in publico, edere, maloq; à quibusdam indifertus audiri, quàm à multis ingratus, nempe repetens mecum summam optimi Principis ergà me, immerentem licet, clementiam, & collata in me beneficia plurima. Vetus ac verum est: *Homo homini DEVS*. Quod equidem verissimè, de optimo nostro Principe HEINRICO IULIO dixerim: *Non Dominus mihi, sed Pater; non homo, sed DEVS propemodùm fuit*. Ille Parentibus me orbatum, & ab amicis ferè alijs derelictum, suscepit: Ille sibi medicum me, nec ætate, nec eruditione tanti æstimandum, adsciuit: Ille honestissimo stipendio donavit: Ille de felici studiorum & rerum mearum successu, vitæq; ratione, paucis adhuc antè mortem diebus, sollicitus fuit. Et ego, tanti principis honori, tantillum verborum denegem? Ad semihorulæ spatium, linguam, ac opellam qualemcunq; meam, eidem non impendam? Neque verò aliquis opinetur, dum *de optimo nostro principe* HEINRICO IULIO, me dicturum professus sum, ac si omnia, quæ de ipsius vel familiã, vel virtutibus, vel factis, vel alijs, dici debebant, hoc loco, tenui licet stylo, percensere velim. Non tam illicò vel mei, vel principis, vel modestiæ oblitus sum. Quin potiùs ex infinito rerum cumulo, summa tantùm capita, & fastigia, breviter decerpam, ac delibabo. Vos, pietate, eruditione, longòq; rerum usu excellentissimi: Vosq; nobilissimi adolescentes, oro obtestorq; vos orationem meam aurâ humanitatis, ac benevolentia



lentiæ vestræ sublevertis, nec me dicentem, sed potius id, quod, & de quo à me dicitur, æstimetis.

Ad decus familiæ, & ijs, qui ex eâ nati, magis conciliandum, inter alia, non modò à recentibus, sed etiam à priscis rerum scriptoribus, antiquitas magnâ diligentiam erui consuevit. Ita jam olim, sicuti apud Athenienses *αὐτόχθονες*, & apud Thebanos *Σπαρτοὶ*: sic etiam Latinis à vetustate, & *Opici*, & *Indigenæ*, & *Caij* celebrati maximè feruntur. Quòd si igitur, & dignitatem nostri Principis quæramus in antiquitate, illud, admodum sanè vetustum, constabit, nulli in Germaniâ facilè cedere: cum eius origo ad *Actium Navium*, augurem inclitum, qui temporibus *Tarquinij Prisci Regis Romanorum*, circà annum urbis 48. cotem novaculam scidit, refertur. Ex eâ quippè stirpe *Actiâ*, sive *Guelphicâ*, stemmata effloruerunt illustria, *Marchionum Estensium*, *Ducum Ferraria, Mutina, & Regij in Italia*, nec non *Ducum Brunsvigiorum, & Lunenburgiorum in Saxoniâ*. Quàm verò continuâ, & nunquam interruptâ serie, è tam altis principijs, vnus alterum, per tot secula, ad hoc vsq; tempus sequatur, Historici, probatæ fidei, ob oculos nobis posuerunt. Ipsos eos adeat, & audiat, cuiusq; fortè hinc aliquid suspectum videtur, aut non satis liquidum: scio, inueniet, quod tacitus secum miretur; quod non obscurum divinæ providentiæ argumentum pronunciet. Neq; modò veterrima hæc Principum Brunsvicensium prosapia est: sed insuper etiam splendida, prælustis, tot Heroibus suprâ vulgum, Arte & Marte, domi forisq; pollutibus,

*Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos,*

*Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla fauos.*

Quanti fuit *Guelphus quartus*, cognomine *Robustus*, qui varia bellorum discrimina expertus, tandem ætate iam ingravescente, in *Palæstinam* militatum abiit, viamq; sibi ferro aperiens,



riens, plerisq; è comitibus extinctis, Hierosolymam penetravit? Quanti fuit *Heinricus Superbus*, primus in hac familiâ *Electoꝝ Saxonie*? Etenim jam antè *Hebruria*, *Noricorum*, *Vindellicorum*, *Navischorum*, *Rhetiorum* Princeps potentissimus, insuper *Saxoniam*, connubio *Gertrudis*, *Lotharij Caesaris filie*, sibi adjunxit, & à *socero* postmodum quoq; *dominijs Brunsvigæ*, & *Lunenburgij* donatus, ob fidem, & virtutem, quam ipsi bellis Italicis præstiterat. Quanti fuit & *Albertus Magnus*, ac *Senior* cognominatus? Is præter alia insigniter facta, *Othocari Bohemie Regis* partes aduersus *Belam Hungaria Regem* fovens, victor, hostium ingenti strage editâ, baltheo militari cinctus, prædâq; amplâ onustus, domum redijt. Notus etiam *Fridericus*, *Magni Torquati filius*, qui ob eximiam animi magnitudinem *Frankofurti cis Moenum*, *Rex Romanorum* electus; sed postea in reditu à *Comitijs*, ad *Frissariam*, insidijs vndiq; circumventus, occubuit. Notus *Guilielmus Senior*, qui septem *victorijs* splendidissimis insignitus, nomen *Victoriosi* promeruit. Notus *Ericus Guilielmi Junioris filius*, qui *terror Turcarum*, *fulmenq; belli* audijt, nec non *Maxemyliani Primi Caesaris sospitator*, vtpotè quem *ferreâ clavâ* ab hostibus percussum, casumq; ex equo minantem, erexit, ac reposuit. Amplius eum *duodecies in acie stetisse*, *collatis signis dimicasse*, *comminus conflixisse*, *hostem fudisse*, *victoriamq; reportasse*: plusquam *vigesies pinnacula*, *murosq; hostium conscendisse*, & *superasse*, *memoriae proditum est*. Quid dicam, vt ad nostrum propiùs accedamus, de *Heinrico Seniore*, proauo nostri Principis? Ingenio is solerti, animoq; ac manu forti fuisse, semperq; laudem, & laurum è bellis quæsiisse scribitur. Quid dicam de *Heinrico Iuniore*, avo nostri Principis? Etiam Heros animosus, subolesq; Patris æmula, non otio torpescere, sed in bella potiùs incumbere, gloriosum sibi putavit; in primisq; uti

*Rustica tempestas Corydonum: exosa Dynastas*

sup-



supprimeretur, sociam & ipse operam, *Georgio Saxoni, & Phi-*  
*lippo Landtgrauio*, navavit. Quid dicam deniq; de *Iulio* Patre  
 nostri Principis? si ullus alius, & hic gloriam immortalem  
 meruit, *heros magnanimus, Iustitiæ assertor, puræ Religionis pro-*  
*pagator, & custos acerrimus, bonarumq; Artium Mæcenæ optimus.*  
 Præter enim alia insignia merita, quæ omnium bonorum  
 animis infederunt, etiam *Academiam hanc Helmstedt primus*  
*fundavit anno 1574. proq; eâ privilegia ab Imperatore Maxamylia-*  
*no II. impetravit.* His igitur Majoribus, hoc Patre, matre ve-  
 rò itidem Principe optimâ & illustrissimâ, *Hedvige, Mar-*  
*chionissâ Brandenburgicâ*, sanguinem ac spiritû haufit, noster  
 Princeps Illustrissimus. Ex hac, tam felici & ramosâ arbore,  
 pullulavit tam nobile germen, tam multiplici bonorum a-  
 nimi, corporis, ac Fortunæ genere onustum: quod ita citò  
 exaruisse, omnes meritò collacrumamur, & dolemus. Na-  
 talis ejus incidit, in anni Christi 1564. Idus Octobris, maxi-  
 mèq; Principi nostro faustus, ac rerum præclarè gestarum  
 ferie notabilis deindè illuxit. Nemini, in historijs paulu-  
 lum versato, incognitum est, quàm diem natalem, quovis  
 etiam modo celebrare, potentiores inprimis, ab ævo usq;  
 prisco, soliti sint. Ita apud *Dionem Nicaum*, legitur *Adrianus*  
*Imperator* spectacula, natali suo die, gratis dedisse populo:  
 in eisq; tantam vim ac numerum bestiarum cæsum fuisse, vt  
 centum Leones, totidemq; Leænæ pariter conficerentur.  
 Idemq;, Athenis quoq;, mille feras dedisse in stadio, mu-  
 nusq; gladiatorum per sex dies continuos. Atqui longè  
 alia natalem nostri Principis memorabilem fecère, & gem-  
 mâ meliore notandum. Hoc die, *perpetuus Rector ac Patronus*  
*Academiae suæ Helmstadianæ*, universo Musarum & Charitum  
 choro applaudente, creatus est. Hoc die, ab *invictissimo Ro-*  
*manorum Imperatore semper Augusto*, in *Triurbem Pragam* be-  
 nignè arcessitus, cellissimum *Directoris* officium, *partesq; Cæ-*  
saris



faris vicarias subiit. Hoc die, conscripto exercitu, *hastes suos*  
*in proximo*, obsidione tinxit; non ut vim alijs temerè infer-  
ret; aut alijs sua auferret, sed ut sibi avito jure debita recu-  
peraret. Neq; alijs diebus facinora, per omnem vitam, de-  
sunt plurima, cædro digna, quæ ipse non gloriâ, sed utilita-  
te, nec tam propriâ, quam subditorum, & dilectæ Patriæ  
metiebatur. Nimirum illud Principis, & ejus qui ad clavum Rei-  
publicæ sedet, præcipuè convenit officio, uti pro felicitate subdito-  
rum unicâ, assiduus excubet, nec sibi sed Patriæ natum esse, per sua-  
ssimum habeat. Fecit hic noster omni studio, nihilq; prius,  
nihil antiquius Patriæ suæ salute aestimavit. Iam olim in  
gentilitate *Thesæi*, *Menvæcij*, *Horatiorum trigeminarum*, *toti-*  
*demq;* *Albanorum*, *Curciaciorum*, *Decij*, *Curtij*, aliorumq; suppe-  
ditantur nobis exempla ab Historijs, quod se pro Patriæ sa-  
lute, atq; incolumitate devovere minimè dubitârunt. Si-  
mile, de hoc nostro Heroë, merito jure dicere possumus,  
quando ipse omnia, ut Patria hæc sospes vireat, vigeat, sint  
incolumnes, sint florentes, sint beati subditi, tentaverit, ni-  
hil omiserit; nihil non laborum ac periculorum subierit.  
Nôstis, *Auditores*, *Symbala*, animum ejus testantia: quæ per  
omnium orajam volitant. *Honestum pro Patriâ: Et pro Patriâ*  
*consumor.* Quorum hoc ita, exemplo meritissimi Parentis  
sui, assumfisse mihi videtur; utpotè cujus hoc erat Symbo-  
lon, sub picturâ luminis, iter monstrantis: *Alijs inserviando*  
*consumor.* Notandum *Nicolaus Reusnerus Juræconsultus & Poëta*  
*præstantissimus*, atq; hoc disticho exprimit:  
*Lux alijs lucens, ipsa consumitur usu,*  
*Sic ego consumor, dum alijs servire laboro.*  
Quæcunq; igitur inspicim⁹, sive publica, sive privata, sive sa-  
cra, sive politica negotia, ex omni parte, optimi nostri Prin-  
cipis amorem erga suos, & Patriam, deprehendim⁹ singula-  
rem. *Nihil vspiam utilius regno, nihil salutaris, quam si vera ei*  
*reli-*



religio adsit, nihil eidē perniciosius, si absit. Quod ut & sapientes  
Ethnicorum facile intellexere: Ita Princeps Romana Historia  
Livius, pro suo sensu: Omnia, inquit, prospera eveniunt colemri-  
bus Deos, adversa spernentibus. Et Plinius: Religione, inquit, vita  
constat. Hoc igitur, & Princeps noster illustrissimus, aut po-  
tius illud Apostolicum intuitus. Pietas abundat promissione  
hujus & futurae vitae: itemq; memor officij sacri, cum & Epi-  
scopus Halberstadiensis Dei gratia esset, antē omnia veram Pie-  
tatem, non superstitionum, non innumerabilium, è ligno  
aut metallo, Deorum, sed vnius veri, ac vivi DEI cultum,  
nec more alicujus Numa Pompilij, sed exemplo Iosaphati, aut  
Iosia, constituit. Doctrinam de salute aeternā consequendā,  
non ex Ethnicorum paludibus, non è Pontificiorum lacu-  
nis, sed ex limpidissimis Israëlitarum fontibus haustam, lon-  
gè latèq; derivari, ac diffundi, ad seram usq; posteritatem,  
voluit. Ex eo tot stipendia decreta, tot præmia constituta  
sunt; ex eo tot viri linguarum, rerumq; cognitione politif-  
simi, munificè habitī: tot adolescentes, ac juvenes, synceri-  
tate veræ Pietatis, bonarumq; literarum, à teneris vngu-  
culis, edocti, educti, tot deniq; collegia & templa, vel re-  
fecta, vel denuò excitata sunt. Nobile erat priscis tempo-  
ribus Ephesi templum Dianæ; omnia hominum opera magni-  
tudine superans, interq; mundi recensitum miracula, teste  
Pausania, Plinio & alijs. At longè nobilius, longè augustius  
id templum, omnium rectè judicantium suffragio habetur,  
quod recens Guelphenbyta, sumtu, & structurā admirabili,  
condidit Princeps noster illustrissimus. Illud enim Dianæ  
venatrici, aut etiam obstetrici, quæ aniles ineptiæ olim fuere:  
hoc aeterno IEHOVAE, veròq; DEO consecratum est. Illud  
pro Ethnicorum, id est Impiorum colluvie: hoc pro Eccle-  
siâ, precioso CHRISTI IESU sanguine redemtâ, existit.  
Illud nugis, nenijs, ac frivolis mendacijs perstrepuerit: hoc  
canti-



canticis in laudem DEI, æternâq; veritate deinceps perfo-  
nabit. O Heroëm eximium! ô Principem verè-pium! cuius  
non in labro, sed in imo pectore fessitâsse videtur Pietas:  
cujus, vel eo nomine, amorem erga Patriam, nulla ætas con-  
ticescet. Quàm preciosus thesaurus! quàm gemma auro contrâ  
non cara in Republicâ ac regno Gymnasium & Academia. E tripode  
Apollinis, illud Poëta doctissimi exivisse censetur.

Taubman-  
nus.

*Est Schola cor Mundi, moderatrix aurea rerum;*

*Vnica doctrina culta Magistra bona:*

*Morum formatrix, animorum fabrica, nutrix*

*Artium, inexhausta dives alumna rei.*

*Virtutum cultrix, veri falsiq; probatrix,*

*Vtilium genitrix ingeniosa virum.*

*Est Academia, (vt Caselius vester, vir magnus, descripsit,) ni-  
hil aliud quàm arx Sapientie, templum veritatis, scientiarum  
thesaurus, omnium liberalium artium mercatus, Modestie & Hu-  
manitatis palestra, civiliū instrumentorum armamentarium, A-  
micitie, & humanarum virtutum officina, mirabilium animi vo-  
luptatum Paradisus, atq; fons uniuersæ in hiscè terris vite beatæ,  
deniq; verò etiã aurora quædam communis omnium salutis prænun-  
cia. Quid & hîc noster Princeps? vt communis etiam patria,  
tanto κειμηλίω, tamq; celesti bono, fruatur, perennè gaude-  
at, juxtaq; alijs, quâ propè, quâ procul, inserviat, omni cu-  
râ & industriâ effectum dedit. Nihil à me dari Gratia: nihil  
pro tempore dici, testis est, si alia documenta absint, Colle-  
gium Ilenfeldij, præter reliqua, potissimùm Græcis, & He-  
bræis literis, earumq; ceu parente, Michaële Neandro, perce-  
lebri. Testis est, pedagogium Göttingæ, quo è varijs oris, stu-  
diorum causâ, multi, vel hodiè quoq; confluunt. Testis est,  
Valkenredâ, è cænobio iam schola instructissima. In ijs enim o-  
mnibus, tot pueri, & adollescentes, tenuioris quidem for-  
tunæ pleriq; at melioris tamen ingenij, qui olim Deo, Pa-  
tria,*



triæ, omnibusq; bonis serviant, impendio, ac sumtu magnifico educantur, omniq; linguarum, & salutaris doctrinæ genere imbuuntur. Testis deniq; est, hæc *alma Academia Julia*, quam ab optimo Principe ornatam omnibus modis, & locupletatam, si multis hoc loco dicere præsumam, meridiano soli videar lumen velle addere. Adeò beneficia laudatissimi Principis sui, *Professores*, quos pullatos mihi affidere video, viri excellentissimi, prædicant. Adeò beneficia laudatissimi Principis sui, *lectissima studiosorum corona* dilaudat: adeoq; beneficia laudatissimi Principis sui, *ipsi etiam parietes, & columna collegiorum* veluti proloquuntur. Atque ea quò plura, & majora extitère in omnes beneficia, eò acerbior, optimi Principis insperata Mors, omnibus accidit; eò plus ululatum auditur, eò plus lacrumarum funditur. Neq; modò literas, & literatos serio amore, Princeps noster, complexus est: sed etiam ipse, animum suum studijs gravioribus excolere, non tam honorificum, quàm perutile sibi suisq; censuit. Nempè *quod Mundus sinè Sole: quod corpus sinè oculo; illud Respublica, ac Regnum sinè Magistratu rerum sciente & perito, est.* Atqui in tantâ exiguâ vitæ nostræ brevitate, in tantâ rerum omnium difficultate, undè citiùs & feliciùs scientia, undè peritia hauriatur, nisi è monumentis ac libris varijs? Hinc omninò, non solùm vivendi, sed etiam benè vivendi; immò insuper etiam se aliosq; commodùm regendi, petuntur adminicula: ut rectè *Vladislaus Bohemia Rex* dixerit. *Non videri sibi hominem, nedum Principem, qui literas ignoret.* At scivit eas noster, Græcas & Latinas. Inprimisq; etiam Eloquentiæ operam dedit; indeq; facultate dicendi gravissimâ valuit; benè sciens, *dominam rerum eloquendi vim esse, quâ cohortamur, quâ persuademus, quâ consolamur afflicto, quâ deducimus perterritos à timore, quâ gestientes comprimimus, quâ cupiditates iracundiarum restringimus, ut Cicero,*

C

exper-



expertus ipse, laudat. Historias etiam legit noster illustris-  
 mus creberrimè, veteris scilicèt, ac nostri seculi: benè in-  
 telligens, quòd *Historici sint optimi Consiliarij, qui semper ad-*  
*sunt vocati, qui nihil occultant, nihil adulantur:* uti sapienter  
 dixit *Rex Arragonia Alphonsus. Omnium disciplinarum censen-*  
*te Aristotele Πηγάτιν ηγή δεξιτέρων τινή,* hoc est, *Regina quasi qua-*  
*dam ac supremus apex, politica est: amplissima item Iurispruden-*  
*tia, quæ totum requirat hominem.* At utriusq; scientiâ ita noster  
 excelluit, ut pro assertione Iuris & æqui, proq; Reipublicæ  
 incolumitate, non aliquot pagellas, sed integra volumina  
 manu suâ exaraverit, *ut maximis Iureconsultorum,* consulendo,  
 disputando, decidendo, *palman fecerit ambigam.* Sed  
 & cum memoriâ à Naturâ expromptam, ingeniumq; ad om-  
 nia comparatum, nactus esset, Princeps noster gloriosissi-  
 mus, ideò alia quoq; scientiarum genera sibi sumsit tractan-  
 da, ac, quod alij, vel talis, vel joco, vel somno, vel Dianæ,  
 vel Baccho, vel Vacunæ, id temp<sup>o</sup> ipse imbuit studio Theo-  
 logico, etiam disquisitionibus Medicis: etiam curis Philo-  
 sophicis. Longè pro re minora me dicere, omnes nôrunt,  
 qui ipsum Principem noverunt. Ac si alia abfuerint, testa-  
 tur unica illa controversia, quæ non ita pridem hanc ipsam  
 Academiam exercebat, atq; philosophiæ dignitati non pa-  
 rum videbatur iniquior. Quippè istam verò, sapientissimus  
 Princeps, suo more, hoc est, scitissimè composuit: indeq;  
 laudem sibi, tam apud suos, quàm exteros immortalem  
 comparavit. Inter alios eâ de re *magnus ille Iosephus Iustus*  
*Scaliger, è Belgio* ita scribit, ad vestrum piæ recordationis, *ve-*  
*nerandum Caselium.* Deindè, inquit, *gratulor Tibi, quòd sub illu-*  
*strissimo principe Tuo, lis ventilata est. Quo quid Tibi honorifi-*  
*centius contingere potuit? Quot putas esse, qui libenter se reos fieri*  
*patiantur, ut à tanto iudice absolvantur? Ego certè acervos auri*  
*non merear; ut olim eâ mercede periclitari, ut mihi contingat is*  
*Iudex,*

In epistol.  
 ab Adamo  
 Theodoro  
 Sibero edi-  
 tis.



*Iudex, qui Sapientiâ suâ verum eruere, humanitate innocentiam defendere, autoritate calumniam propulsare possit. Quare tam memorabili factò, illustrissimus Princeps consecutus est, ut tam Syco- phantis formidolosus, quàm bonis omnibus, ac præsertim eruditis in posterum charus futurus sit. De cuius imagine gratias Tibi ago, quam ita venerabor, ut rari inter Mortales, herois: ita colam; ut sanctissimi literarum ac Virtutum patroni. Hæc ille. Alexander Magnus olim in Sigæo consistens ad tumulum Achillis, scribitur, fortunatum illum exclamâsse, qui Virtutis suæ præconem Homerum invenerit. At ô Te multò felicior, optime Princeps HEINRICE IULI; qui Virtutis, eruditionis, ac laudum Tuarum, non unum, sed omnes bonos ac doctos invenis buccinatores, & inter eos nominatim Scaligerum: qui & magnorum Regum ac Principum germanus sanguis fuit, & doctorum aquila, & Musarum alter Apollo meruit appellari, Homero multis modis anteponendus.*

*Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,*

*Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicada.*

*ô illustris. HEINRICE IULI:*

*Semper honos nomenq; tuum laudesq; manebunt!*

At verò contrà id, quod modò dixi, disputare aliquos video, quasi ejusmodi studia, & humaniores literæ, minùs deceant principem; quasiq; à purpurâ, ad mediam pullatamq; turbam eas relegari oporteat. At rursus quid aliorum responsionibus, & argumentis solidi opponant, necdum mihi apparet. Si enim indoles Principis excitata: si felix memoria sit: si naturali impetu ad hanc vel illam artem propendeat, si ita curæ & actiones pro Republicâ non impediantur, sed acuuntur; si indè non parùm emolumentum videatur existere, quis omnium tandem animo heroico delicias Musicæ, Poëticæ, Physicæ, Astronomiæ, & similium invidet? Ita è veteribus juxtâ, & supra vulgum magnati-



bus, plurimorum exempla nobis in promptu sunt, quibus  
nostram sententiam tueri liceat; si tam necessarium esset,  
quàm facile. *Primus Romani Imperij Monarcha Iulius Caesar*, non  
modò de Bellis se duce gestis, commentarios, sed etiam de  
analogiâ libros Grammaticos scripsit. Ita *Marcus Antoninus*  
*Imperator*, scientijs philosophicis apprime excultus fuit, ita  
& *philosophus cognominatus*. Ita *AELius Hadrianus*, cognitione  
linguarum, & liberalium Artium penitus imbutus eminuit.  
Ita *Carolus Magnus*, præter reliqua, & Grammaticam patrio  
idiomate inchoavit, & carmina quibus veterum Regum  
bella, ac res gestæ canebantur, scripsit, itemq; mensibus an-  
ni, nostrâ linguâ nomina imposuit. Et quis omnia hujus ge-  
neris exempla, uno spiritu percenseat? Nostro etiam ævo,  
qui veterum illorum vestigia ponè legant dixerim, an supe-  
rent? non pauci sunt principes. Est hodiè *serenissimus Angliæ*  
*Rex, Iacobus Sextus*: qui doctissimus, inter alia etiam contra  
monstrum illud horrendum, urbis septicollis, strinxit cala-  
mum. Est *Mauricius Hassiæ Landgravius*, linguarum multipli-  
cium, rerumq; ad miraculum scientissimus; cujus poëtica  
methodus, nec non carmina egregia, in omnium manibus  
versantur. Sunt & alij complures, vel in hac nostrâ Germa-  
niâ, quos redimendi temporis causâ, prætermittere hoc  
loco oportet. Ad eorum igitur faciem, & princeps noster  
cellissimus itidem se composuit. *Comædias* ille edidit patrio  
sermone, ut argumento vario, ita suavitate admirabili: *de*  
*animalibus, herbis, gemmis, disseruit solertissimè: Quàm in delicijs*  
*habuerit Musicam*, vel unicum illud *Organon πνευσικόν*, & penfi-  
le ad parietem *templi Groningensis* probat, cui artifices in u-  
niversum omnes, primas libentissimè tribuunt! Quàm *Me-*  
*dicinæ, Chymicæ* verò potissimum, peritus fuerit, ostendunt  
tot nobilia & preciosa medicamenta, ipsius ductu, & præ-  
scriptione facta: ostendunt magna volumina, quæ illustrissi-  
mus



mus ipse propriâ manu consignavit. Quàm Geometria & Ar-  
 chitectonica gnarus fuerit, testantur nobile armamentarium,  
 propugnacula, valla, fosse, quibus ditionem suam hinc indè  
 munivit, testantur multa alia adificia, & nominatim arx Grö-  
 ningensis, templum ibidem ex solido gypso, aureisq; laminis præ-  
 fulgidum, Templum Guelphenbyta, nullis uspiam cedens, qui-  
 bus omnibus patriam sibi summoperè dilectam, exornavit.  
 Quibus addas & arcem, quam recens Praga eduxit, omnium  
 inibi, si arcem regiam excipias, magnificentissimam. Ob-  
 ruar profectò, ô Auditores, si omnia hujus generis minuta-  
 tùm enumerare cupiam: & tempus etiam flagitat, ut de alijs  
 ejus virtutibus aliquid in medium afferam. Benè Augustus  
 Cesar, Pietate, inquit, & Iusticiâ Principes Dÿ sunt. Hoc scie-  
 bat Princeps noster gloriosissimus: hoc sedulò urgebat; Ac  
 ficuti Pietas erga D E V M, & religio illibata ipsi primùm: Ita  
 Iustitia secundùm curæ erat; quam in universâ ditione suâ  
 exerceri omni conatu voluit. Leges tulit saluberrimas; jam  
 ab antecessoribus latas firmavit: suum cuiq; tribui voluit:  
 præmia bonis contulit: pœnas inflixit maleficis: vitia quæ  
 passim serpere videbantur, acriter ultus fuit. Neq; enim fru-  
 strâ gerit gladium Magistratus: sed D E I minister est: vindex ad  
 iram illi, qui quod malum est fecerit. Ac veluti pars aliqua corpo-  
 ris morbida, nisi ociùs curetur, aut ense recidatur, reliquas etiam  
 contagio suâ inficit, adeoq; totum sæpè corpus pessumdat: Ita nisi ho-  
 mines nefarij, quadam quasi ulcera & carcinomata, è medio tollan-  
 tur, nisi regnum vicijis ac sordibus expurgetur, salvum illud dici,  
 & felix nequit consistere; & ubi officium suum negligunt superio-  
 res, omnium Supremus, pœnarum gravitate, quicquid vel commis-  
 sum, vel omissum fuerit, ulciscitur. Vti novimus unius scelerati  
 culpâ, quem oculo connivente tulerit magistratus, totam  
 sæpè urbem, immò & provinciam interiisse.

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακῶ ἀνδρῶς ἐπαυρεῖ.

Hesiod.

C 3

Vt



Levit. 10.

Vt ergò laudatissimus princeps noster, vitia promiscuè omnia odit, eliditq; stirpitus voluit: Ita potissimum in veneficia invecus, sagas, lamias, & quoscunq; magicis artibus operatos deprehendit, justissimo zelo sustulit. Hoc enim divinum exigit mandatum. *Anima que declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra illam, & excindam eam de medio populi mei.* Sed & quid Fortitudinem nostri Principis memorabo. Vt robore ac firmitate corporis erat compacta: ita animo etiam excelso atq; intrepido, quæcunq; fortuna aut casus videbatur ingruere. Nostis *militēs*, ut vocabantur, *Passavienses*, non ita pridem magno impetu *Pragam* irruisse, stragemq; dedisse non minimam. At fortissimus ille Princeps noster, per media castra, exiguo suorum comitatu, invecus, sævitiam quasi-furiosorum, suâ autoritate compescuit. Meministis quid *Hispani* ante annos non ita multos moliti fuerint: quàm oppidum *Ræse in VVestphaliâ* obsederint; ut & hic noster, inter primos, fortissimè hostem externum, Germaniæq; nostræ infestum, repulit, fugavit. Quid verò, etiam *Prudentiam* ejus, atq; autoritatem prædicabo? Non tantum quæ antè pedes, sed etiam futura catus providebat: unum ex alio sagaciter colligebat. Multas Imperij controversias suâ prudentiâ moderatus composuit: consilia suggestit utilissima, quibus etiam nunc integræ Republicæ perfruuntur. Quod *Tacitus* scribit, *plura in summâ Fortunâ auspicijs & consilijs, quàm telis & manibus geri*, vel hoc uno documento probavit, dum *maximos Reges* (quid innuam intelligitis) conciliavit. Quod eo ipso tempore, ita publicè laudabat, *Friedericus Taubmannus*. **HEINRICUM IULIUM, Brunsvicensem**, inquit, *autoritate & prudentiâ, maximos Reges ac Principes conciliare, hoc est, Orbem Christianum concussum, in urbe regiâ stabilitum ire (quod Te statorem & Tonantem Opt. Max. quesumus) famâ & auditione acci-*

In schedi-  
as. præ-  
fatione.



accipimus. Hæc ille. Quid insuper de ejusdem comitate dicam & Clementiâ? Nempè ut ea, Seneca testimonio, nullum ex omnibus magis, quam Regem aut Principem decet. Ita noster eam sibi quodammodo propriam vendicavit. Non ad iram proclivis: non odij tenax erat: non aliorum incommodis gaudebat, non crudelibus delectabatur supplicijs. Immò quàm multa dissimulabat! quàm multa patiente animo suffererebat! quàm multa de stricto jure suo facilis remittebat! Obvios quosq; , vel inferiorum natalium, dignabatur alloquio. Stephanus Bojorum, & Eberhardus VVirtembergensium dux, gloriari solebant, se turò in sinu uniuscuiusq; ex subditis suis in utramq; aurem dormire posse. Quæso addatur illis, addatur & noster Princeps, pari fide ac jure tertius: quem non modò quivis subditorum securè dormientem sinu fovisset, sed periclitantem etiam suimet ipsius capitis objectu promptissimè defendisset. Præclarè Cicero, Liberalitate, inquit, & Beneficentiâ nihil est humana naturæ accommodatius. Et Seneca: Melius Beneficij's imperium custoditur, quàm armis. Illud & noster intelligens, rivos munificentiae suæ, longè latèq; , per aridos, & exsuccos agellos, sivit effluere. Non dicam, in Saxoniâ quantum pauperes, & indigi subsidio ejus refecti, atq; sublevati sint: iidem illi nôrunt, & prout fas est, gratis mentibus deprædicant. Ipse Pragæ hisce oculis meis vidi, quàm ingens nudorum & famelicorum multitudo, sumtibus nostri, quotidie vestiri aliq; consueverit. Certè absq; eo fuerit, jam plurimi ex illis præ inopiâ haut dubiè extabuissent! Inprimis verò Musarum alumnos, quorum conatibus obstabat Res angusta domi, stipendijs ac præmijs honestavit liberalissimis. Ac memini me aliquoties ex ore ipsius audire: se malle in literatos impendere sua, quàm domi reservare cistis inclusa. O vocem auream & tanto principe dignissimam! ô facta etiam istam vocem representantia! Quàm diu Musarum, bonarumq; literarum



rum nomen in hoc orbe audietur, tam diu & liberalitas ac  
beneficentia optimi Principis, laude meritâ ma&tabitur;  
tam diu etiam cæteræ ejus Virtutes, quas dixi, & quas non  
dixi, immortales vigeant. Utinam modò tam egregio  
Principe, per Fata, diutiùs nobis frui licuisset! utinam fons  
ille inexhaustæ Liberalitatis non tam citò exaruisset! uti-  
nam amœnissima illa arbor, quæ umbram omnibus gratam  
præbebat, non tam citò emarcuisset! Verùm, ut *in summo fa-  
stigio constituta, nescio quo pacto, facilimè ad casus etiam proclivia  
sunt*, uti hominibus perpetuum nihil datum: ita & noster Re-  
verendissimus (eheu!) Princeps, morbo, (atq; utinam hoc  
tantùm!) sed & Morte, (vix lacrimas contineo) correptus,  
præter opinionem ac spem nostram, ex his terris emigravit.  
Et morbum quidem quod attinet, (de eo enim, & paucula  
mihi ut Medico dicenda) erat is *Febris continua maligna, corre-  
spondens duplici tertiana*, ut Medici vocare solemus. Atq; eam  
non modò evidenter nos docuit partim pulsus frequentior  
& debilior, partim sanguis sanè nigerrimus & maximè glu-  
tinofus, Principis nostri τὸ μακροῦς, è venâ cõmuni dextri  
brachij, guttatim per phlebotomian eductus: sed multò et-  
iam magis exacerbationes quotidianæ, quas bis etiam uno  
die experiebatur. Nihil consilij, nihil operæ à nobis omif-  
sum, quo tantæ morbi violentiæ resisteretur. Etiam insuper  
duo Medici præstantissimi, qui ipsis Cæsaribus à latere, *Octa-  
vianus Roboretus à Freybergk; & Hector Mosiaglia*; quos honoris  
ergò nomino, mihi adjuncti fuerunt, ne omninò aliquid  
Principi nostro deesse videretur. Sed ut omnia pro virili  
movimus, parùm tamen promovere nobis licuit. Nam,  
quasi parùm in febre illâ periculi esset, amplius etiam, ceu  
longo pedissequio, symptomata ingruebant; vigiliæ noctur-  
næ identidem interruptæ: vomitus, & diarrhœa bilis por-  
raceæ, & æruginosæ, cum crassissimâ pituitâ adjunctâ: itemq;  
singul-



singultus omnium gravissimus, cum perpetuâ urinarû eruditare. Atqui morbum magis magisq; acui, nec non symptomata eò uberius cumulari oportebat, quo optim<sup>o</sup> Princeps, nescio quâ nausâ, non fercula duntaxat, sed omnia etiam medicamentorum genera, magis respuebat: *unicum*, ut dicebat, *presidium in natura sua, ac virium bonitate, post DEVM, collocans*. Ac quamvis præter Topica quædam & clysteres, tandem obtestationibus nostris veluti inductus, parùm extracti Bezoartici: Syrupi acetosi, infusionis Agarici. Rhabarbari, & Mechoacannæ imbiberet: tamen nimis illud parum, pro tanto hoste superando, erat: Multa quoq; alia probatissima, & preciosissima remedia erant, quæ vix intueri optimus Princeps volebat, tantum abfuit, ut aliquâ, consilio quidem nostro, uteretur. Indies igitur vires universi corporis attenuari, tandemq; prosterni, nec aliud nisi dissolutione corporis & animæ consequi oportebat. Quod etiam factum est, *die à morbi principio 23. Obijtq; optimus & Illustrissimus noster Princeps, inter preces ardentissimas 28. Julij, quadrante tertiâ ante nonam nocturnam*. Hæc funesta illa, & luctuosa nox est; cuius meminisse sine lacrimis nunquam potero: Hæc atra nox, tot gaudia, totq; spes nostras funditus interfecit. O deploratissimum vitæ nostræ statum! ô inconstantiam rerum omnium! Quid sumus tandem Homines? Quantillum vivimus & duramus? Ah tantum nobis Principem, tam vegetâ adhuc & viridi ætate, tam citò occubuisse! ah tam *dulce caput omnibus, decus Saxonie, Patriæ Patrem, Musarum altorem, meum alterum parentem, & plusquam Parentem*, elanguisse! DEVM immortalem! quæ undiq; suspiria? quæ lamenta? quos plangores? audiri nunc putem! Te ô Princeps optime, *serenissima conjunx Elisabetha* deflet *maritum suavissimum*! Te *Liberi* superstites *patrem suum blandissimum*, querulâ voce inclamant, reposedunt! Te *subditi* Do-

D minum



*minum suum, aut magis Patrem, gemunt, quiritantur. Vbi nunc Caesaris Matthiae spes ac fiducia, quam in TE ponebat? Vbi nunc celebris illa facundia & prudentia, quam Comitibus hodiè Ratisponæ, omnibus votis desiderant. Vbi nunc labores illi ingentes pro augendâ & ornandâ patriâ? Vbi nunc præclara illa consilia, quibus tota Bohemia lætabatur? Ah me miserum! ah me infelicem! cui alios multos servare cum DEO licuit, herbis felicibus hîc defecisse! lumen, ac columnen, immò Numen meum in terris, servare non potuisse! ô beatissime Princeps HEINRICE-IULI! Tu vita mea eras; & vitam Tibi non prolongare aliquantillum potuisse! Tu oculus meus eras, & heu! me infelicem oculos Tibi morienti claudere oportuisse! Cor mihi & cerebrum liquecere sentio, ubi semefa & tertiata Tua verba, ô Princeps, mecum repeto; ubi pios gemitus, & flagrantia ad DEUM suspiria tacitus ruminor! Iam quod seriò optabas nactus es: quam volebas unicè, vitam beatam ingressus es. O æternùm mihi optime Princeps salve, & vale! quid enim addam amplius? Salve, inquam & vale, ô Principum Princeps! & quem Tibi mortuo honorem, nunc Helmæstadij habeo, scias minimum pro Tuis beneficijs esse, quibus me indignum cumulâsti.*

*Elysiâ sub valle vale, vale inclute IULI*

*HEINRICE; æternùm nobis salvetis valeto!*

*Quod superest, Te omnipotens & æterne DEUS, qui omnia nutu Tuo digeris, supplex veneror, atq; invoco, ut, quoniam Tuæ celesti providentiæ ita placuit, celsissimum Principem nostrum è terris subtractum, choro celestium addere. Tu Filium successorem illustrissimum, FRIEDERICVM HVLDERICVM, spes alteras nostras, alterum nobis solatium, spiritu Tuo animes & armes, quò initium gubernationis ipsius felix, medium felicius, meta deniq; sit felicissima: omnia ipsius consilia, & actiones, hoc tam difficili & luctuoso tempore,*



pore, ad divini nominis gloriam, ac patriæ salutem unice  
dirigas. *ô mere floscule Principum!*

*ô & presidium, & dulce decus meum!*

Illustrissime FRIEDERICE

HULDERICE

——— *magni Patris amule fili!*

Te quoq; sub finem hujus orationis meæ, iterum iterumq;  
salvere, ac felicissime valere jubeo. Ut Pater jam-olim  
Tuus, ita & Tu

*Sis bonus ô felixq; mihi. —*

immò & Tuis æquè omnibus. Quod vel nomen Tuum no-  
bis pollicetur. *Pax aurea, cujus nomen dulce, res verò ipsa cum Cicero.*

*jucunda, tum salutaris;* omniû rerum dives copia, ac faustitas,  
Tibi celsissime Princeps, serenissimæ matri, illustrissimis fra-  
tribus & sororibus Tuis, universæq; domui inclutæ, affide-  
at, perennet; atq; ut erat in veteri formulâ acclamandi, A u-

GUSTO *sis felicior, Trajano Melior.* Ita fiat, ita fiat! Quo

nomine & omine hanc orationem meam libens,  
meritò obsignatam cupio.

D I X I.



In orationem funebrem

cl. V.

Dn. IOHANNIS STEINMETZI, Medici-  
næ D. experientissimi, Convictoris & ami-  
ci sui perchari.



*E quoq;, STEINMETZI, deslentem funera chari*

*Principis, audivit Iulia nostra libens:*

*Atq; piûm studium, mentemq; probavit, eodem*

*Bis quater officio functa dolore gravi.*

D 2

Hos



*Hoc etenim Herois meruit natalis origo,  
Et regio, & pietas docta, animiq; vigor;  
Tum virtus fortis, constans; clementia larga,  
Sanctaq; justitia, & sobrietatis amor:  
Singula quae laudem cum promereantur; in uno  
Omnia quis junctim non celebranda putet?  
Ergo, vir experiens, cum respondere favorem  
Speratum meritis experiare tuis;  
Rectè etiam curas, ut tunc audita legantur  
Pluribus haud dubiè grata futura viris.  
Sic decet, & fas est, ac tanto Principe dignum;  
Ut gratus Dominum laudibus usq; vehas.*

M. THEODORVS BERCKELMAN, S.S. Theo-  
logiæ Professor publ. Helmæstad. f.

*Ad Clarissimum Dn. IOHANNEM STEINMETZIVM M. D. Amicum suum.*

**D**um lugens tristi miserandum carmine casum,  
Et desles nostri funera acerba Ducis.  
Quem Cæsar caput Imperij dolet, ægra subortis  
Quem toties lachrymis terra Bohema gemit.  
Et dum nobiscum, STEINMETZI, pectore grato  
Brunsvvigij Herois grandia facta canis.  
Hoc studio verè summum testaris amorem,  
In functum Dominum quàm pius esse velis.  
Hinc manifesta tui vis est arguta cerébri,  
Quam non immeritò IULIA docta probat.  
Sic per te PRINCEPS, & tu cum PRINCIPE rursus  
Vivis, sic vitam servat uterq; suam.

IOHANNES LOTICHIVS,  
Iuris Profess. Acad. Iul. à Secretis.

In com-



*Incomparabili Heroi*

**D. HENRICO JULIO:**

*Postulato Halberstadiensium Episcopo:*

*Brunsvicensium & Lunaburgensium Duci: &c:*

*Inviētissimi Rom: Imperat:*

*Consiliario & Cubiculario:*

**PATRI PATRIAE:**

*Conservatori Reipublicæ:*

*Propagatori Orthodoxæ Religionis:*

*Pace & Bello conspicuo, maximèq; glorioso*

**TRIUMPHATORI:**

*Liberalium Artium Protectori:*

*Sapientiæ inexhaustæ thesauro:*

*Commodo Romani Imperij nato:*

*Eiusdemq; summo damno,*

*In medio Virtutum & Gloriæ stadio,*

*PRAGÆ BOHEMORVM,*

*antè diem denato:*

*Principi ac Domino meo (heu olim!) benignissimo:*

*Cuius Fama gloriosissima*

*Totum paulò minùs terrarum Orbem iam-dudum pervagata,*

*Laudabiliorem multò,*

*quàm ullus unquam*

*Vel Grajorum, vel Romanorum,*

*Post se reliquit memoriam:*



**HÆC NŪNTIÆ;  
ET VERE-FERALIA CARMINÆ;**

Summi desiderij indices,

Debitæ gratitudinis notas,

*Inastimabili mœrore propè confectus,*

**GUELPHENBYTÆ,**

*ad tumulum*

**L. M. Q;**

*decansabam:*

*Seræq; posteritatis æviternæ memoriæ  
consecrabam,*

**IOHANNES STEINMETZ SECVNDVS:**

Phil: & Med. D. P. Imp: Laurig:

*Illustrissimi p: m: Principis*

**MEDICVS** (*heu olim!*) **Cubicularius.**

**TU PORRO;**

*Qui legis;*

*Qui intelligis;*

**CENSOR BONVS ET PIVS ESTO**

*Principiq; gloriosissimo*

*Piè placideq; in DOMINO defuncto,*

*Requiem vovens æternam,*

*non immemor esto istius Seneca:*

*Vivere totà vità discendum est: Et quod magis  
fortasse miraberis; totà vità discendum est*

**MORI.**

*Vobis*



VOBIS VERO

*Illustrissimi Celsissimiq; Principes ac*  
DOMINI;

D. FRIDERICE HULDERICE:

D. CHRISTIANE;

D. RUDOLPHE;

D. HEINRICE CAROLE:

*Brunsvicensium ac Lunaburgensium Duces &c.*

*Reverendissimi piè defuncti*

D. HEINRICI IULII

*Derelicti filij genuini;*

*Fratres Germani:*

*Principes ac Domini Clementissimi:*

VOBIS inquam,

*Has synceras lacrimas:*

*Hac singultu & suspiria:*

*Animo humili & demisso,*

*Cum solenni omnium votorum appreciatione;*

Dedico & offero:

*Meq; in sinum gratia vestra penitus juxtim insinuo.*

A 2

I. ELE-



L  
E L E G I A

Ad Illustrissimos, Reverendissimi HEINRICI IVLII.

Filios: &c.



Vanquam esset satiùs, more Harpocratis, labrum  
utrumq;  
Comprimere; &, silicum more, rigescere humi:  
Quàm singultantes inter proferre dolores  
Irrorata sacris carmina lacrumulis:  
O magni magni Genitoris filij; ocelli  
Principum; & Imperij fulcra beata sacri.  
Me tamen (hà miserum!) certans dolor altus amori;  
Quem vestro (heu vestro!) debui ego usq; Patri:  
Quiq; meo jamdum crescit sub pectore, qualis  
Flamma vorax medias lapsa modò in stipulas:  
Invitum cogit, cérebrum, & cor cereum acerbis  
Conficere & lacrumis, & modulaminibus.  
Ille etenim fuerat; quem censuit Invidia ipsa  
Dignum esse Euboicæ vivere secula anus:  
Ob Virritum atq; Artium opes, quibus omnibus ille  
Creditus est similes exsuperâsse sui;  
Quando tot oppressos Peniæ violentiâ, ab imis  
Extulit ad celi culmina pulveribus.  
Quando tot artitos stipendis auxit honestis,  
In quorum numero scriptus & ipse fui.  
Flere igitur liceat: Liceat suspiria duris,  
Atq; adeò insuetis insinuare modis.  
Incusare Deos liceat, quorum arbitrio illi  
Ire necesse fuit non remeabile iter.  
Incusare poli liceat quoq; sidera; & illam,  
Quæ nisa è glebâ est nos fabricare soli.

Quòd



Quòd non perstiterint meliori cortice tantum  
Munire hà! vitæ principem in auspicio:  
Quòd non protulerint medicamina nobiliora,  
Vita quibus posset perpetuari hominum.  
Et quando vos hæc, & pluria fortè, legetis  
Edura è duro metra profecta animo:  
Credite, quòd meritò doleam, interiisse Ducem, (cheu!)  
Et decadas famulùm jam superesse novem,  
Quos omnes COI inventis è lintre Charontis  
Eripui, præquàm abscondita flava Ceres.  
Credite, quòd meritò doleam interiisse Ducem, (cheu!)  
Eq; dolore dolorem graviore genam.  
Quando sex triadas vigilatarum mihi noctium;  
Atq; adeò innumeras æstimo pharmacùm opes,  
Quis annisus eram vitam æternare natantis  
Iam (dolor heu!) medià Mortis in ingluvie.  
Quid loquor? Antè tamen vestris hæc mentibus hærent:  
Pluraq; quàm verbis & referam lacrumis.  
Dicite propterea. *Quod vivus inantè suo ore*  
*Atq; fide Genitor pollicitus Medico est:*  
*Nos dabimus meritò. Hoc etenim urget Patrius ardor:*  
*Et, quàm functum etiam prosequimur, Pietas.*  
Sic vobis benè erit! Benè vobis sic erit! & vos  
Crescetis multas usq; in Olympiadas!  
At TU crede HEINRICE (ah jamdum mortue!) JULI,  
(Namq; ut TE appellem cogit acerbus amor.)  
Nubium & annium aquæ licèt in me flumine toto  
Irruerent, oculis effluerentq; meis:  
Non Tua fata tamen sat possem flere Potentum, &  
Ensiferæ ô bellis viva (sed haut magè!) Heræ.  
Fortunate HEROS! Famæ Tu stabis in ulnis,  
Quà Sol consuetas itq; redivitq; vias.

A 3

Inte-



Interea à Medico (heu quondam!) Tuo, haveto! vaiceto  
 Dux JULI, & lacrimas hâsce sepultus habe!  
 Non aliter potui testari (heu Fata!) dolorem:  
 Non aliter meritis gratiam habere Tuis.  
 Pyramidas jam alij: ponant monimenta alij: aras  
 Exstruat auratas ille, vel ille, Tibi.  
 Mî Medico, & Melico satis est posuisse undantes  
 In memorabilibus hos gemitus tabulis.  
 Vos verò, ô magni Patris nati æmuli; ocelli  
 Principum; & Imperij fulcra beata sacri;  
 Crescite proporrò Virtutibus, Artibus, amplis  
 Imperijs; superate hostium & omne genus!  
 Ut tandem in vobis Virtus rediviva Parentis  
 Prodeat! At dudum prodijt illa satis!  
 O Tu, qui stellis gravidam domum, in æthere summo,  
 Dirigis, eveniant hæc ita cuncta, jube!

II.

T H R E N U S.

**H**æc quoq; crudelis Fati inclementia nostris  
 Spectâcla exposuit tristia luminibus.  
 Principum ut Europæ venerabile sidus, JÜLUM,  
 Quem dubium est suboles sitnè hominum anne Deum?  
 Jam tandem, thalamo compôstum urente, viderem,  
 Querqueræ & insanæ ludibrio esse Febri;  
 Postq; tor innumeros, tot inexplicitosq; dolores,  
 Efflare heu! ductam spisso animam è latere.  
 Heu dolor! heu quis tristifico me in gurgite merget,  
 Qui ortum habet æternis è Niobes lacrimis;  
 Imbibam ut unâ operâ gemitus, luctusq;, doloresq;,  
 Omniaq; omnem adcò quæ mihi sanguinem edant.

Per-



Perpetuisq; dehinc singulribus, atq; querelis  
Defleam honoratum per sola cuncta Ducem:  
In quo se totam Sophie transfuderat, in quo  
Iusticia & Medica sedem habuere suam:  
In quo quicquid erat Bonitatis, Amoris, Honoris,  
Tanquam in conspicuo vidimus esse throno.  
Heu dolor! At jam dum curarum in perpetuo æstu  
Tempora noctis ago, tempora lucis ago:  
Inq; loco latitans privato, nulla vaciva  
Singultu admitto tempora vel lacrumis.  
Hæ Superi! hæ vos Inferi item DI! dicite, quidnam  
Diminuet nostri cordolij acre genus?  
Dicite, quod medicamen erit, quo sistere possim  
Flumina, ab humidulis quæ veniunt oculis!  
Aut quânam ratione interruptos singultus  
Hinc procul Oceani trans vada falsa abigam!  
O dolor! ô ingens dolor! Exclamare necesse est  
O dolor! & cum istâ voce dolente mori.  
Et meritò: Quod enim consolabatur inantè  
Lugentem, in medijs anxietudinibus:  
Hoc mihi subduxit, verè-dolor-insperatus;  
Hoc secum eripuit Mors mihi-acerba nimis:  
Ingenium dico, quo cordivoræ antè Tyrannæ  
Longum adeò indixi sæpius exsilium.  
Immò flumina tota, undè olim, omni impete, Phœbi  
Fluxere auspicio, præcipitata me le;  
Nunc exhausta arent, succiq; poëtifici intus  
Nil superest; superest nil nisi torpor iners.  
Hæ Superi! hæ vos Inferi item DI! quos penes unos  
Vitæ hominum, ah hominum! fila secanda manent.  
Pergite, pergite dehinc celerato pollice fuscum  
Vertere, acutarum & rumpere forficum ope

Filum



Filum forte meæ (hà nimis execrabile!) vitæ,  
Cumq; hoc omnigenas rumpite tristicias;  
Tristicias radio quas stella Saturnia cœco  
Vitæ à principio fecit iniqua mihi.  
Hà quoties, potiùs quàm sit mihi monstra tueri  
Talia, & insultu non moriente pati,  
Devovi jamdudum, & adhuc me devoveo, inter  
Tot crudos gemitus trans Acheronta vehi!  
Cernitis, ut mea propterea vis vivida pectus  
Iverit? ut circet pallida cura genas?  
Cernitis ut, simulachri instar, sola sola vagari  
Sueverim? & auxiliij non cupiam omne bonum?  
Et cur non faciam? cur me non devoveam? cur  
Non trans Letheas mâlim habitare plagas?  
Maximè ubi perijt, (quem dicam nomine? Princeps  
Dicam?) non princeps; sed meus ille DEUS;  
Ille DEUS, qui me, exoptati Numinis instar,  
Erectum, voluit maximo honore frui.  
Maximo honore inquam; dum me in numero esse clientum  
Iussit, & optatâ conditione frui.  
Hà dolor! hà Dux magne! Tui ô decus orbis, & orbis  
Terrei! & imperij magna columna sacri.  
Quæ nam tum invidies Divorum pectora coxit?  
Cum premerent Morbo Te raperentq; sacro?  
Tempore quo tractanda Tibi molimina rerum  
Maxima, & imperij commoda publica erant?  
Tempore quo mihi magnificos meditatus honores,  
Augustam jûsti dêhinc peragrarè viam?  
Tempore, quo: At quid plura querar? Me intercipit arctus  
Singultus, jubet &, Te moriente, mori.  
O Divi; Divi! ô crudelia Numina Divi!  
Siccine nunc ventis vota mea esse data?

Siccine



Siccine frustrà dehinc altaria vestra gravari?  
Siccine vos pingues non magè amare focòs?  
Quonam iram? quonam invidiam, vestram optimus ille  
Principum, inhumani crimine promeruit?  
Aures Justiciæ attestor, quòd, si quid iniquum  
Fecerit hic, par sit pœna luenda mihi!  
Illène, quo nullus fuerat servantióræ qui?  
Illène qui summus Justiciæ ultor erat!  
O Parcæ, Parcæ; istud nam ne est parcere? Parcæ  
Istud pòl non est parcere; sed rapere est.  
Ante diem hoc rapere est, ô Parcæ parcere-parcæ;  
Et jugulare unâ gaudia mille nece.  
Quæ verò hæc rabies? quænam infatianda libido,  
Desubitò tantum surripuisse Ducem?  
Cum quo mille animæ in noctem caliginis atræ  
Involvuntur, & obscurum iter anxij eunt?  
Cum quo Lætitiæ; cum quo omnia commoda sacri  
Imperij, cum quo Fasq;, Piumq; ruunt?  
Cum quo cunctæ Artes; cum quo optima quæq; fuerunt;  
Quæ nunquam poterunt réddere Solis equi?  
O celum! ô tellus! ô circat qui omnia Nereûs,  
O Natura! homicidæ ô vetulæ atra manus!  
Quod mare sufficiet mihi flumina? quæq; Sororum  
Mnemofidum verborum orsa ululanda dabit?  
Vt dignè tandem, ut dignè tandem omnibus horis  
Principem honoratum perpetuo imbre fleam?  
Hæ funesta dies! Stygijsq; exosior umbris!  
Lampas quæ Imperij, & Cæsaris ôclus obIt.  
Hæc interrupit varios Steinmetzij honores;  
Hæc tulit uno omnes impete Gratia opes.  
Hæc miserabilium génitrix est facta querelarum;  
Hæc vix sopitam rettulit Invidiam.

B

Hæc



Hæc ferventem animum ad studia omnia, sola refraxit;  
Hæc repulit cérebri trans Heliconæ Deas.  
Et sic lamentis lamenta exauxit in horas,  
Et finis lacrumæ nondum erit ulla meæ!  
Ergò Heinricæ jaces Iulii? ergò Heinricæ fuisti  
Iulii; & Steinmetzjō non revidendus eris?  
Ergò ad Lethéos cessisti protinùs amnes;  
Nec Steinmetzij epe jam magis aure bibes!  
Ergò non magè copia erit mihi tângere dextrâ, &  
Dignari illustres osculo havente manus?  
Ergò non magè erit mî epulis accumbere Tecum  
Dive, & de Medicis disseruisse bonis?  
Ergò nunquam animo Tua jussa capessere prompto  
Amplius, ô IULI-HEINRICE beate, datum est?  
O malè gratum discidium! ô lacrumabile tempus!  
Quàm citò, quàmq; procul raptus es ante diem!  
Ostentatus eras primùm mihi: Gratia & imber  
Vix primùm in nostrum depluit ille sinum.  
Vix rabiem Invidiæ; vix tela volantia passim,  
Sub clypeo didici ferre subindè Tuo.  
Cum Te Strymonia consors cariosa paludis  
Viventum aggressa est tóllere de medio.  
Qualis messor avens æris sicelice suâ agri  
E medio germen solstitiale rapit.  
Nec potuit furibunda Tibi tunc parcere saltim  
Consilium peteret cum Imperium omnetuum.  
Quin potiùs, quò Te usserunt magè commoda regni:  
Hoc magè confectum Te ussit acerba Febris.  
Hà quoties, quoties succosq; herbasq; salubreis,  
Quæq; alia è Medicis nota Magisterijs;  
A me oblata Tibi noctuq; diuq; fuerunt,  
Bestiæ ut indomitæ cederet ille furor.

Nec



Nec piguit vigilem bis denas dūcere noctes,  
Ad thalamum, heu! thalamum, Dux animose, tuum.  
Nec piguit Medicos, quos Cæsar inantè solebat  
Solos præ rel. quis maximè amare alijs.  
Dico Roboretum; dico Muscagliam; utrumq;  
Pergameo, atq; ipsi haut absimilem Hippocrati:  
Iungere mi à latere hoc, tantum ut fera bestia suctas  
Possit eò citiùs præcipitari ad aquas.  
Verum incassum. Etenim Morbi violentia vicit  
Omnem artem, atq; omnes insuper excubias.  
O medicamentorum; hominumq; adeò omnium inania  
Auxilia! ô umbræ futile somnium homo!  
Nulla magisteria in Medicis Natura reliquit,  
Ambitiosa licet tota, volumnibus:  
Quis tantus Princeps poterat relevarier: usq;  
Usq; adeò imperfecta omnia hic Orbis habet. ”  
Ipse Galenum equidem, Phœbumq; , in vota vocavi,  
Vulcanusq; quibus credita multa tulit;  
Esetne usquam aliquid, virtute suâ ingenitâ, olli  
Rèddere quod posset virium, & oris opes.  
Sed frustra: frustra inclamando adeò institi; & umbræ  
Dux propè consimilis, nil, quod haberet, erat.  
O miserabilium sortem miserandam hominum omnium! ”  
O miserandum etiam, quem ut Deum hic orbis habet! ”  
Nil hîc perfectum est: imperfecta omnia sunt, quæ ”  
Naturæ tellus undiq; munere habet! ”  
Nec felix Salomon, nec opum vi Cræsus abundans, ”  
Præ mendico Iro prosperiora capit. ”  
Omnes usq; adeò debemus nauia Charonti: ”  
Innuit ille oculo, vel digito: est dare opus. ”  
Quando igitur neq; pharmaca, nec studia omnia quicquam  
Profuerant: Iuli Te quoq; cinxti ad iter:  
B 2 Atq;



Atq; meis recubans (pròh qualis! qualis!) in ulnis,  
Verbula postremo mortis in articulo  
Murmure non magno semesa iterasti? & ocellis  
Hiscè meis falsas elicuisti hà! aquas.  
Cum vidi fractos in TE moriente vitellos,  
Missâ animâq; oculos texi utrobq; Tuos;  
Vix poteram ultimum epos præ singultu eloqui: Iuli  
Vive va = vive vale: vive va = vive vale!  
Nec poteram hiscè oculis, utrinq; natantibus undis  
In lacrumarum, eheu! TE magis aspicere.  
Aspexi quidem: At heu! duplicem TE aspexi: & in ipso  
Aspectu visa est mî Libitina simul.  
Illa mihi visa est TE supplantare furenter.  
Ah quoties dixi, ne Libitina preme!  
Ne Libitina preme, augustum Heroum omnium honorem!  
Imperij columen ne Libitina preme!  
Omnia at in ventos, TE dudum presserat illa:  
Quamq; mihi hîc visam credideram; hæc jam aberat.  
Quid facerem? Elicui in gemitus: cérebriq; volebam  
Efflere omni operâ vim humidulam ex oculis.  
Iamq; meo solusténebrasâ nocte cubili  
Querquera spargebam, noctuæ ad instar, epe,  
Iamq; caput coopertum erat, in publicumq; reverti  
Nolui ego antè meas, mane oriente, fores.  
Eccè alia ex alijs Fati inclementia nostris  
Spectâcla exposuit tristia luminibus.  
At spectâcla inquam? quasi verò hoc nomine digna!  
Imposuit manibus tristia facta meis.  
Non fat erat me oculos clausisse huïc, quem magè ocellis  
His colui. Mihi cor inveniendum item erat.  
Hâ! mihi cor quærendum item erat: cor nobile! in illo,  
Quem plus corde meo semper amavi, & amo.

Dissectum



Dissectum est (referens lacrimas effundo). cadaver;  
 Exemtum & jecunur, corq; tremente manu.  
 At quibus hæc oculis vidi? ah quibus ista peregi  
 Heu! manibus? propè eram semisepultus homo.  
 Tristior, hà! quoties? dixi: illustrissime Princeps  
 Ignosce hà! quis adhuc si Tibi sensus inest!  
 Hà quoties medijs dixi in complexibus: ô DI  
 Cur mihi vitalis jam super aura manet?  
 Diffiliant potiùs medijs complexibus artus:  
 Sitq; necis titulus, Mors Ducis ista, meæ!  
 Omnia contigerant: Tantùm succumbere eo ipso  
 Tempore poscenti non mihi contigerat!  
 Præter velle igitur pergendum erat heu! mihi: præter  
 Velle etiam exemi viscera cuncta Tibi:  
 Inq; vicem inclusi fragrantia aromata, quodq;  
 Balsami odorati crescit in Indiæ agris.  
 Compositoq; dein pressâ exiguaq; ha! in urnâ,  
 Asspersi florum delictum omne super.  
 Dixiq; haut pote sum modò, præcellissime Princeps,  
 Ampliùs in laudes pândere vela Tuas.  
 Nulla Tibi posthac texam metagrammata. Nullas  
 Tu mihi dêhinc laudes, munera nulla dabis.  
 Hà! quò jam mea spes? mea quò lautissima spes jam  
 Transijt, in Te uno quæ mihi pòsta fuit?  
 Hæc dixi: & quoties fari graviora volebam:  
 Asstricta heu! toties verba fuère mihi.  
 Dixi igitur tacitus: Philomela sonora rependat  
 Ad tumulum, sonitu perpetuante, Tuum.  
 Quæ tibi Steinmetzjus, Medicus Tuus, & propè (at heu! olim)  
 Pupillus; nunc post orphanus interitum;  
 Inter tot lacrimas; inter suspiria; nescit  
 Post obitum, cheu! obitum, sòlvere, Dive, Tuum.



Fortè aliquando suæ linguæ industria rursus  
Accidet, & præco rursus erit ille Tuus.  
At Tu Nauta Charon, poterásne ita naua repentè  
Nostro ab honorato póscere debita Hero!  
Tantum exspectâsses tria lustra, minùsvè: Tulisses  
Heu trans Lethéum quàm spolia ampla vadum!  
At spolia ampla fatís modò surripuisti: & in uno hoc  
Quicquid Virtutum est, quicquid & Artium, habes.  
Quem totum imperium desiderat: & quem ubicunq;  
Ingeminant montes, antra, fluenta, juga.  
Hoc perverse Tuam jam onerâsti Nauta carinam:  
Ah quando huic referent astra benigna parem!  
Sed quò surripior? quò me desiderij vis  
Expulit? effinxi, væ mihi! quale metron?  
Edurum effinxi, atq; vagum. Durissima quippè  
Mors Tua: & in nenis scripturio ista vagis.  
Ignoscant docti! Tuq; illustrissime JULI  
Ignosce hà! quis adhuc si tibi sensus inest!  
Tempore fors paulò pòst succedente sequentur  
Apta magis, solito vel magè comta modo.  
Nil mihi jam, lacrumis nimium obruto, adesse volebat  
E Charitum docto Mnemosidumq; penu.  
Sufficiunt lacrumæ: gemitus: suspiria. Grati  
Illa etiam poterunt esse animi indicia.  
Dum loquor, interibi tempus consumitur: & Tu  
JULI-HEINRICE Tuum póneris in tumulum!  
Nemo oculis siccis lacrumosam suspicit urnam:  
Et requiem, & facilem quisq; tibi optat humum.  
Ipse item ego, extremum Tibi dico vale, optime Princeps:  
Extremum querulâ voce Tibi opto vale!  
Vos verò Phœbo sacri, ô suavissimi olores,  
Ad clausas tumuli convolitate fores.

Atq;



Atq; nivem, atq; acrem vim Cauri, & grandinis indè  
Vestro perpetuo pellite præsidio. (quã  
Tu quoq;, qui amne Tuo, Pater Occare, lambis humum, in  
Conduntur summi Principis exuvia.  
Lábere tristisono per jugera aperta susurro,  
JULII & HEINRICI nomina clara refer.  
HEINRICI JVLII, Tecum fer nomina dico  
Trans mare ad exustos, si hác fluis, Aethyopas.  
Quanquam non dubitem, quin vis adeò ampla suarum  
Virtutum dudum transierit pelagum;  
Et, quàcunq; suo terras Sol fulgure ttansit,  
Nomina perpetuis scripserit in tabulis.  
Ut tamen his etiam lacrumosi funeris hora  
Constet; & ut functo fiat ibi quoq; honos.  
Lábere tristisono per jugera aperta susurro  
Occare, & hác illhác funera mœsta refer.  
Advenient Charites, Nymphæ, Dryadesq;, novemq;  
Parnassi, in tonso cum genitore, Deæ:  
Siq; Deorum aliqui, quos Musarum appetit ardor,  
Vsq; perégrinis inveniendi in agris;  
In simul advenient, exornabuntq; sepulchrum,  
Spiret ut Assyrio rotus odore locus.  
Interibi solito Tabulæ de marmore fient,  
Prodibitq; in ijs Principis effigies,  
Qualis erat, quantusq;. Cui ô si Dædalus, aut quis  
Adderet exemtam Deucalion animam!  
Qualis ego, quantusq; essem! verùm irrita sunt hæc:  
Non placeant sanis irrita vota viris.  
Quà semel ivisti, hinc nunquam rediturus es ad nos:  
Quàq; jaces, somnum rumpere nemo potest.  
Quod possum ergò; extremum, ô JVLII HEINRICI quiritor:  
O vale æternum Dux animose: Vale!

AD



III.

## AD PARCARUM TRIGAM

*Epigramma.*

**A**D veteres igitur luctus, veteresq; dolores  
Adjicis heu! lacrimas has quoq; Parca triplex?  
Deplorata prius fuerat mihi Aquila illa Birostris.  
Et Transsylvanis quo Duce nomen erat.  
Tertium ad hos addis, Parca o furiosa, dolorem:  
Dum Tibi Guelphiacus sternitur ille Leo.  
Non licuit lacrimas inter perijisse priores:  
At liceat lacrumis jam tamen hiscè mori.  
Ut tandem geminæ, quem non potuere querelæ  
Exhaustum unâ operâ conficere & rapere:  
Unus ob unius ferar indè Leonis amorem,  
Viq; trium, & luctu de perijisse trium.

IV.

## LESSUS MORTUALIS.

**R***Abide violentia Mortis  
Fatalia spicula torquet,  
Iuvenumq; virumq; senumq;  
Abrumpere stamina perstat.  
Prece, nec rutilante metallo  
Mitescit, at effera terras,  
Mara, alta cacumina, turres,  
Ipsasq; penetrat abyssos.  
Cineres velut abripit aura:  
Citiùs vel seriùs, atro  
Ita Mors fera funere vitam.  
Hominum rapit, annihilatq;*

*Quid gloria vana? quid aurum?  
Quid splendida tecta domorum?  
Quæ tecum auferre negatum est:  
Cum Mors volet, ibis inanis.  
Quàm mox fati imminet hora,  
Audis geminare propinquos,  
Bis, terq; quaterq; valeto!  
o Mortis præda valeto!  
Tua quos mensa antè sodales  
Aluit, fugient, & abibunt:  
Socio desertus ab omni,  
Lethes ad flumina tendes.*

*Vege-*



Vegetus quam fervide amasti,  
Virtus, Te sola sequetur,  
Tumulum & properabit ad unum,  
Heres vix plura relinquet.

Macies in corpore toto  
Orietur, in ora migrabit  
Pallor, tua lumina stabunt  
Fractis immota vitellis.

Cor curis undiq; pressum  
Gemet, anxietudine pulsus  
Cessabit spiritus, & vox  
Formidine fracta dehiscet.

Rosens decor ille peribit,  
Torpebit vena, madores  
Per membra trementia current,  
Quando dolor ossibus haeret:

Qui te prius, instar ocelli,  
Deamavit, is haeret, & horret:  
Qui Te modò jussit habere,  
Te nunc jubet ille valere.

Qui limina saepius antè  
Visit tua, nunc pede raptò  
Ea praterit, haut secus ac si  
Serpens latitaret in illis.

At te thalamus miserandus  
Plorantem, & acerbà gementem,  
Inter suspiria habebit,  
Vite quibus acta revolvit.

Mox fætor ab exanimato  
Prodibit corpore, & auras  
Vitiabit, pestis & instar  
Consortia tota fugabit.

Stomachans, qui comminùs  
Nares premet oraq; forti (ibit,  
Digito, aut velamine denso,  
Dicens, pròh Turpe cadaver!

Tandem hinc vetus incola cede,  
Tandem hinc gravis incola cede!  
Foveam Tibi quare cadaver,  
Me terres pallida larva.

Dicto hoc Tibi fossa parata est,  
Quà te fert bajulus, ajens:  
Rex hac es in arce, deinceps  
Rumpet Tibi nemo soporem.

Solamina posthuma habebis,  
Quando viduata viro uxor,  
Subolesq; orbata parente,  
Emittent flumina ocellis.

Tamen hac lux unica prorsus  
Siccabit flumina: cernet  
Lux postera lumina clara,  
Risusq;, jociq; referta.

At tu fætente sepulcri  
Rigidi concluderis antro,  
Nec fas Te velle reniti;  
Hanc legem nemo migrabit.

Hac Te sub mole morantur,  
Vermes, bufo, atq; colubri.  
Hac aulica turba futura est,  
Domini saturanda medullis.

Hac in Tua brachia serpet,  
Hac Te dignabitur osculis;  
Satiabis daptilis istam,  
Sed symbola nulla sequetur.

C

Hæc



Hæc transeat ossa, medullas  
Hæc quæret in ossibus imis.  
Bufo, seps, vermis, inempto  
Poterunt se pascere voto.

Non longus flebitur inde  
Pullatis lessus amicis,  
Vix, è tot millibus, unus,  
Mærens Tua fata, gemiscet.

Atrati, morè, frequentes  
In pompam funeris ibunt,  
At pallia nigra gementum  
Vix septima Luna videbit.

Quàm mox tumultatus es, ibunt,  
Lingua & trepidante vovebunt:  
Bene sit Tibi semper! Arena  
Sit nunquam onerosa sepulto!

Mille inter gaudia Natus  
Absumet cacuba; pinguis  
Quando in scrobe dente vorace  
Tua viscera bufo vorabit.

Postquam verò inde rediit  
Circumfluis annus in orbem;  
Caro, cum cute, pilus, ocelli,  
Olido perière sub antro.

Tendens hæc fortè viator,  
Cranium atq; hæc ossa stupefcet;  
Tum fies fabula, & ille  
Quæret, quis calve fuisti?

Nec tantum deperière  
Caro, cum cute, pilus, ocelli:  
Cum istis quoque famigerati  
Dilapsa est nominis umbra.

Nemo hoc, puto, in Orbe vigebit,  
Cui scire aut dicere fas sit,  
Homini quàm luce vel horâ  
Mortis fugienda potestas.

Mors quando inopina propè ades  
Defertur, & ostia pulsat:  
Porta, postesq;, seraque,  
Convulsa spontè resultant.

Nulli Mors parcit honori,  
Nulli Mors parcere flori  
Didicit; Iuvenesq;, Senesq;,  
Sinè nomine surripit omnes.

Mors imperterrita semper,  
Neque vim, neque prælia curat;  
Regum sceptrâ, atq; potentum  
Aequo pede conterit arma.

Non arx hîc marmore factis  
Fuerit suffulta columnis,  
Pressâ, exiguaque, sub antro,  
Rex ipse cubabit in arcâ.

Scandenda hîc cochlea nulla est,  
Tecto incumbente prementur  
Nares; Homo quisquis es, audi,  
Tecum, quæ concino, pensa.

Hîc nemo erit antefendus;  
Ius & mos omnibus idem:  
Majestas Regia, & Irus,  
In eodem limine degent.

Hac fini scilicet ipsâ  
Stat Regum arctata potestas,  
Pro casto nempe labore,  
Hæc merx, hæc præmia dantur.

Quis



Quis gentes ergò deinceps,  
Et quis moderabitur urbes?  
Quis pradia; & aurea gaza  
Lucrabitur ista talenta?

Regni sceptrum alter habebit,  
Vacuâ & regnabit in aulâ,  
Heredum è pulvere terra  
Te nemo resurgere mallet.

Fuit extruxisse voluptas  
In monte, vel a quore turre?  
Fervens has dirimet heres,  
Imaq; æquabit arena.

Tu regno pulsus & auris,  
Rigidi sub mole sepulcri,  
Vermi ludibrio es omni,  
Et rixa gulosa colúbris.

Tenuem quando ergò, (cadaver,) Heu spurca, heu sordida massa!  
Fueris mutatus in umbram,  
Vbi sis, quid agâsve propinquum  
Te nullus (crede) rogabit.

Vox est trivialis, & ipsis  
Brutis quoque cognita; Quantum  
Seceſſerit ore sodalis,  
Tantum quoque pectore ceſſit.

Candorem quisque & amorem,  
Et si qua plura decebunt,  
Tumulum Tecum sub eundum  
Fodiet, saxoque notabit.

Væ, væ Tibi! væ Tibi! Quisquis  
Fluxas has diligis umbras,  
Hæc sunt deliria vana,  
Vnâ peritura sub horâ.

Suspensò Mors fera motu  
Obrepat, furis ad instar,  
Et quâ, non credere velles,  
Te supplantabit in horâ.

Nolentem Te, atq; volentem  
Ducet, quascunque sub umbras  
Fugies properata sequetur,  
Nullis abigenda medelis.

Nocuo medicata veneno  
Vibrat sua spicula, vulnus  
Quibus immedicabile figit,  
Quàm mox Te tangit, eundum est.

Nullis via acerba querelis,  
Nullo redimenda precatu est;  
Surda est Mors. Dum licet ergò,  
Hæc damna propinqua caveto.

Heu spurca, heu sordida massa!  
Multo heu caro tabida verme!  
Quot larvis, quotve cachinnis  
Es ludificata popellos?

Quotquot tibi, fallere doctæ,  
Credunt; ratione carentes,  
Fallunt se sponte suâ ipsos,  
Nec habent in corpore pectus.

Fidant, quis fidere melli est,  
Fidant Tibi, dico, videbunt  
Penas, quas, non sinè damno,  
Pro credulitate subibunt.

Trudentur, pròh dolor! illi  
Ad Tartara nigra; ubi Ditis  
In sulphure, & igne coquentur,  
Ah cui Venus illa placeret?



11 Forsan Tibi lux hodierna,  
 11 (Incerta ut funeris hora est)  
 12 Suprema minatur; & antè  
 12 Quàm transIt, Tu quoque transis,  
 Ne surdis auribus adsta;  
 Noli ludibrio habere  
 12 Que pramoneo, ô homo; Virtus,  
 12 Virtus Tibi sola colenda est.  
 Longos quam-plurimus annos  
 Vitæ sibi præcipit, At Mors  
 Ridens hæc irrita vota,  
 Hunc ocius eximit auris.  
 Et quis scit? fortè vigentem  
 Inter sua gaudia, præ quàm  
 Sol Hesperias it ad undas,  
 Lethes de trudet in amnem.  
 12 Ergò ô mens, mens mea, semper  
 12 Vigili in statione maneto,  
 12 Et Te ad fatale duellum  
 12 Noctesquè diesquè parato:  
 Ut quâ regione, vel horâ,  
 Mors approperaverit, & Te  
 Ad mutua bella vocârit,  
 Tibi multùm audacia crescat.  
 Ut tendas impete forti,  
 Fidente & pectore in hostem,  
 Et, comminùs arma ferendo,  
 Planè imperterrita dures.  
 Et quanquam vita recisa  
 Fuerit Tibi. Nil nocet. Ecce  
 12 Vita potière coronâ,  
 12 Dignâ hoc certamine palmâ.  
 Quicquid fert Terra, quid unda,  
 Quid & aura profundit, id à Te  
 Sperne, Vnum adamato potenter,  
 Qui condidit omnia, IOV AM.  
 In lucro, si quid in Orbe hoc  
 Perdas fortasse, reponè.  
 Quorsum lacrumare? Tuis hæc  
 Curis indigna putato.  
 12 Numerum transcribe dierum,  
 12 Corpusquè animamq; IEHOVAE;  
 12 De Te qua fecerit ille,  
 12 Placeant Tibi. Tu omnia suffer.  
 Tuto (mihî crede canenti)  
 Tibi sic demùm esse licebit.  
 Clipco aut munimine veræ  
 Cum Te teget ille salutis.  
 Qui primò hanc carminis oden  
 Facili est modulatus avenâ,  
 Tacito secum ille subindè  
 Volvit sub pectore Mortem.  
 Et jam post Mortis agonem  
 Plebejà, conditur urnâ.  
 12 Tibi consule, Lector amice,  
 12 Hodie aut cras fortè sequeris.

V.

Folget die Teutsche Version: des trawrigen  
Klageliedts.

Der



**E**r grimmig' Todt mit seinem Pfeil  
 Thut nach dem Leben ziehen.  
 Sein' Bogen scheust er ab mit eyle  
 Vnd lest mit sich nicht spielen/  
 Das leben schwindt / wie Rauch im Windt/  
 Kein Fleisch mag ihm entrinnen;  
 Kein Gut noch Schatz / findt bey ihm platz;  
 Du must mit ihm von hinnen.  
 2. Wenn dir das letzte stündlein kömpt:  
 So heists Vrlaub genommen.  
 All' Freundt verlassen dich zur Stundt/  
 Niemandt wil mit dir kommen.  
 Du must allein / dich geben drein/  
 Zu reisen frembde strassen.  
 Hast' viel guts thon / so trags darvon/  
 Sonst wird man dir nichts lassen.  
 3. Dein Angesicht wird fallen ein/  
 Dein Augen werden brechen/  
 Das Herz wird schwer beengstigt seyn/  
 Der Mundt wird nichts mehr sprechen/  
 Dein schöne g'staldt / muß werden alt/  
 Der Pulsß wird nimmer lauffen/  
 Des Todtes Schweiß / macht dir gar heiß/  
 Da kömpt die Noth mit hauffen.  
 4. Dem du zuvor warst lieb vnd werth/  
 Dem bringstu jert ein grausen  
 Der vor bey dir all' Tag einkehrt/  
 Der bleibt jezundt wol draussen.  
 Schleicht heimlich für / bey deiner Thür/  
 Kein G'sell wil dich mehr kennen/  
 Du ligst im Bett / vnd seuffzest steth/  
 Das G'wissen thut dich brennen.  
 5. Das Fleisch wird stincken wie ein Raß/  
 Kein Mensch mag bey dir bleiben/  
 Man wird verstopffen Munde vnd Raß/  
 Dich aus der G'mein vertreiben/  
 Nur flugt's hienaus / mit dir zum Haus/  
 Die Leut' ob dir erschrecken/



Man'deckt dich zu/da schlaff mit Ruh/  
 Niemandt wird dich auffwecken.  
 6. Baldt nach dem Tode mit deinem Leib/  
 Wird man dem Grab zu eylen/  
 Der letzte Trost von Kind vnd Weib/  
 Ist Weinen vnd groß Heulen.  
 Ein halben Tag/werth dann ihr Klag/  
 Bis morgen werdens' lachen/  
 Man' wirfft dich nein/es mus nur seyn/  
 Man' thuts kein' anders machen :  
 7. Im Grab verborgen/warten dein/  
 Viel Kröten vnd viel Schlangen/  
 Die werden da dein Haußg' findt seyn/  
 Dich grüssen mit verlangen/  
 Ihr' Gasterey/ wird da seyn frey/  
 Keins darff die Zech bezahlen/  
 Sie schlieffen nein/bis auf die Bein/  
 Machen's nach ihrem g' fallen.  
 8. Dein' freundschaftt wird ein kleine zeit  
 Umb deinen Tode sich klagen/  
 Ein' Mantel vnd ein schwarzes Kleide/  
 Ein halbes Jharlein tragen/  
 Denn spricht die Kott/genad' ihm Gott/  
 Dein'r hat sie schier vergessen/  
 Theilen dein Haab/so du im Grab/  
 Von Würmen wirst gefressen.  
 9. Wenn denn verlauffen ist das Jhar/  
 So bistu schon verwesen/  
 Wer dich sucht/findt kein Haut noch Haar/  
 Fragt/ wer du seist gewesen/  
 Dein Hierenschal/ist worden kahl/  
 Dein Augen seindt gefressen/  
 Man' findt allein/ die Todten Bein/  
 Die Welt hat dein'r vergessen :  
 10. Kein Mensch auff Erd'n vns sagen kan/  
 Wenn wir von hinnen müssen/  
 Wenn der Tode kömpt/vnd klopfet an/  
 So muß man' ihm auffschliessen :

Er



Er nimpt mit g'walt/hin Jung vnd Alz/  
 Thut sich vor niemandt schewen/  
 Des Königs Staab/ bricht er fuchs ab/  
 Vnd führt ihm an den Keyen.  
 11. Ein' engen Sargt wird er dann han/  
 Für eines Königs Saale.  
 Das Dach wird auff der Nasen stahn/  
 Merckt auff ihr Christen alle:  
 Ihr' Mayestäde/ wird da seyn wech/  
 Beim Betler müßens' wohnen/  
 In wentz Jahr' / haben sies gar  
 Die Welt pflegt also z' lohnen.  
 12. Wem bleibe alsdañ dein Land vnd Leue/  
 Dein' grosse Rende vnd Lehen?  
 Ein andern ist dein Sitz bereit/  
 Kein Haan wird nach dir Krähent/  
 Deine Palläst/ vnd Mauren fest/  
 Wird mann darnieder reissen/  
 Du ligst im Grab/ vnd bist schab ab/  
 Mußt jetzt die Würmer spetsen.  
 13. Wenn du denn bist genommen hin/  
 Kein Mensch wird nach dir fragen/  
 Aus den Augen/ aus dem Sinn/  
 Thut's g' meine Sprichwort sagen:  
 All' lieb vnd trew/ wird man ohn schew/  
 Mit dir ins Grab nein scharren.  
 Weh' weim die Welt/ so sehr gefelt/  
 Ihr' Freunde seindt laure Narren.  
 14. Der Tode Vhrplögluch/ als ein Dieb/  
 Thut jähling einher schleichen:  
 Es sey dir gletch leide/ oder lieb/  
 Du kanst ihm niche entweichen/  
 Sein Pfeil ist Gift/ wenn er dich trifft/  
 So mußt' dich bald auffmachen/  
 Er nimpt dich mit/ es hilfft kein' bitt/  
 Drumb sieh zu deinen sachen.  
 15. O Gletsch du schnöder Radensack/  
 Wie viel hastu betrogen/

Wer



Wer dir glaube / weiß wed'r Sack noch Sack /  
 Dein' Wahrheit ist erlogen /  
 Wer dir vertrawt / seh auff sein' Hau  
 Er wirds wol müssen zahlen /  
 Im Hellschen Fawr / da rath mañs thewr /  
 Der Speck ligt auff der Falten.  
 16. Vielleicht ist Heut der letzte Tag /  
 Den du noch hast zu leben /  
 O Mensch verachte nicht was ich sag /  
 Nach Tugendt solstu streben /  
 Wie mancher Mann / wird müssen dran /  
 So hofft noch viel der Jahren /  
 Vnd muß noch heint / weil d' Sonnen scheinet /  
 Zur Höll'n hienunter fahren.  
 17. Darumb mein Seel / biß stets bereit /  
 Thu allzeit männlich wachen /  
 Wenn der Todt kömpt zu jederzeit /  
 Wil dir den gar auß machen /  
 So tanstu dich / frey Ritterlich /  
 Mit ihm in Kampff begeben.  
 Ein' grosse Cron / trägstu darvon /  
 Wenn er dir nimpt das leben.  
 18. All' Creaturn laß fahren hin /  
 Dein' Schöpffer solstu lieben /  
 Was d' hier verleurst / ist dort ein g'win /  
 Kein' schad'n laß dich betrüben /  
 Mit Seel vnd Leib / dich Gott verschreib /  
 Als dann so laß ihm Walten /  
 So wird er dich / glaubt sicherlich /  
 In seinem Schutz erhalten :  
 19. Der dieses Liedlein hat gemacht /  
 Vnd von newen gesungen /  
 Der hat gar oft den Todt betracht /  
 Vnd letztlich mit ihm g'rungen /  
 Igt jetzt im hooll / es thut ihm wol /  
 Tieff in der Erd'n verborgen /  
 Sieh' auff dein Sack / du mußt hernach /  
 Es sey Heut oder Morgen.

ORA-



ORATIO GRATVLATORIA.

Ad

*Illustrissimum celsissimumq; Principem, ac  
Dominum, Dn.*

FRIEDERICUM HULDERICUM,  
BRUNSVICENSIVM AC LVNAE-  
burgensium Ducem &c;

*Principem ac Dominum suum clementissimum*

SVB

*Successionis paterna, & gubernationis auspicio  
felicissima, habita*

à

Iohanne Steinmetzio Secundo Phil: & Med.

D. P: Imperial: L. 17. IIXbris.



ANNO M. DC. XIII.

da





## PRÆFATIO.

**P**ffero Celsitud : T. munus, Illustrissime Princeps, Domine clementissime: Si ex dignitate Tuâ æstimetur, exiguum ; si ex viribus meis mediocre; si ex animo deniq;, magnum. Gratulatio ac votum est, quod hiscè diebus, sub auspicia gubernationis Celsit : T. subjectione humilimâ concepi. Uti spero gratum hoc, qualecunq; fuerit, Celsit : T : habebit, meq; in numero clientum suorum, quamvis immeritum, quâ est summâ ergà literatos humanitate, esse deinceps quoq; patietur. Artaxerxes olim, ut Historiâ testantur, à paupere malum punicum, nec non haustam manu aquam gelidam, perhumaniter accepit. Et Celsit. T. oratiunculam hanc meam, è fonte liquidi pectoris derivatam, nec nisi in salutem, atq; incolumitatem Celsit. T. perpetuam, unicè directam, clementissimè excipiet. Ita spero: Ita, quanto possum subjectissimo studio à Celsit. T. etiam atq; etiam peto, Pater Celsit. T. Illustrissimus, etiam mihi Pater erat: beneficijs afficiebat eximijs, quæ

*dum spiritus hos reget artus:*

è memoriâ meâ nunquam excident. Atqui eo jam per Fata celestia, in contubernium vitæ alterius recepto, ad quem priùs ac potiùs confugiam ; quàm ad TE FILIUM ; principem non minùs illustrissimum ? Tu porrò Pater sis mihi: Tu ancora sis & perfugium studijs meis. Tu, in felices illas ITALIÆ oras, abstrusioris Medicinæ causâ  
jam



jam cogitanti, auram benignissimam, quaeso, adspira: Et  
vel, cui fide & operâ meâ, toto morbi tempore, ad extre-  
mum usq; vitæ spiritum, vigil continuo, præsto fui; illu-  
strissimi Parentis Tui nomine, meum, non nisi inclytæ fa-  
miliæ Tuæ, adeoq; bonis omnibus destinatum, conatum  
juva! Ita Tua, & erga piè defunctum Parentem, Pietas, &  
in literatos Clementia ac Benignitas, toti paulò minùs  
Terrarum orbi innotescet. Et benignissimus IEHOVA  
Celsit: T: cum serenissimâ Matre; Illustrissimis fratri-  
bus ac sororibus, adeoq; universâ Brunsvicensium Du-  
cum celsissimâ familiâ, diu ac feliciter conservabit; o-  
mnibusq;, tam animi, quàm corporis dotibus auctiorem  
subindè reddet. Quod ut ita eveniat, toto pectore, & ore  
precor. Benè ac feliciter Vale, Illustrissime Principum, &  
rem benè ac feliciter gere. Guelphenbytæ 17. II Xbris,  
Anno DOMINI 1613. quem designat votum longè o-  
ptimum: FrleDerlCVs HVLDerlCVs, beatl HelnrICI  
JVLII filIVs, LongæVVs & feLIX VIgeat!





## ORATIO.

**A** Pud veteres olim, Princeps Illustrissime, FRIEDE-  
CE HULDERICE, Domine clementissime, gemi-  
nus ferebatur natalis Imperatorum ac Principum: Unus,  
quo ex utero materno in hanc lucem editi: Alter, quo  
imperium suscipientes, quasi renati sunt, noviq; homines  
facti; quemadmodum de libertis dicitur post manumissi-  
onem. Utrumq; autem magnificâ solennitate celebrare  
solebant, non solummodò ipsi, cum suis familiaribus,  
Imparatores: Verùm etiam subditi, quamvis procul re-  
moti, qui & vota concipiebant, ac solvebant, pro incolu-  
mitate, salute, & æternitate principum. Quòd si hoc Eth-  
nici, in illis olim tenebris, quibus demersi erant, fecerunt,  
ut rectum, pium, & vel hodieq; honorificum: Quid nobis  
Christianis, celesti præ illis luce perfusis, & qui magistra-  
tus nostros vero suo precio æstimare novimus, faciun-  
dum, quæso, sit? Nos principibus nostris, adeòq; omni-  
bus, qui in fastigia constituti nobis præsent, non vota  
concupiamus? non preces fundamus? Immò eò ardenti-  
ùs, quò magis aures nostras circumsonat illud Paulinum.  
*Antè omnia, inquit, Precationem offeras DEO, & orationem,  
& obsecrationem, & gratiarum actionem, pro omnibus filiis ho-  
minis, pro Regibus, & Principibus; ut habitationem tranquillam  
& quietam inhabitemus, in omni timore DEI & puritate.* Dum  
igitur clementissime Princeps, FRIEDERICE- HULDE-  
RICE, hoc tempore quasi renasceris, hoc est; *longè optimo  
parenti Tuo, Illustrissimo Principi HEINRICO IVLIO, Domino  
meo (heu olim!) benignissimo,* DEi gratiâ succedis, atq; gu-  
bernationem amplissimarum ditiorum recens suscipis,  
non modò æquum, sed & Christianum omninò videtur,  
si & ego, inter alios, quanquam omnium minimus, Celsit.



T : de istâ felicitate gratuler; & faustissima quæq; à DEO  
ter opt: Max: votis etiam meis impetrem. Olim, in Im-  
peratorum inauguratione, institutum legimus, ut ijs *Aug-  
usti Felicitas, TRAIANI bonitas* optaretur. Ita & ego, sub  
initia gubernationis Tuæ, Princeps Illustrissime, ex veteri  
illâ formulâ, ter quaterq; Tibi acclamo: *sis FRIEDERICE  
HVLDERICE, Augusto felicior: Trajano melior!* Paucula fa-  
nè ea verba sunt; fateor: si numeremus; non itidem pon-  
deremus. At ponderare quoq; eadem, & paulò latiùs di-  
ducere mihi liceat. *Trajanus*, ut à bonitate ordiar, imperi-  
um per annos XIX: tantâ probitate, innocentia, lenitate,  
ac temperantiâ gessit; ut, cum omnium constanti voce,  
tum etiam senatus decreto *Optimus* appellaretur. Itaq;  
*idem Bonitatis ac Virtutis suæ conscius, cum gladium, de more,  
traderet præfecto prætorij, addere juxtim non dubitavit. Hunc  
à me gladium accipe; & siquidem justè imperavero. pro me habe-  
to: sin injustè, in me ipsum stringito.* Tu quoq; , ô FRIEDERI-  
CE HULDERICE, *sis itidem Trajanus; sis bonus; sis subinde  
Melior; immò optimus sis; & optimè Patriam Tuam, divinâ fa-  
vente gratiâ, regas.* Atq; talem omninò Te fore, aut potiùs  
jam-nunc esse, ex omni parte argumenta minùs dubia  
pollicentur. Optimi Tui ex perpetuâ serie Majores, qui  
virtutibus suis ac rebus benè feliciterq; gestis, domi mili-  
tiæq; laudes meruerunt nullo unquam seculo obliteran-  
das. Optimi - - - *qui Te talem genuère Parentes,*  
perq; universam Germaniam, quid si mundi machinam  
dixero? celebratissimi: *Pater Illustrissimus HEINRICVS IV-  
LIVS*, non modò in Patriâ, sed etiam apud alias gentes, Hu-  
manitatis, Fortitudinis, Iusticiæ, ac Prudentiæ vestigia re-  
liquit, non pressa leviter, ad exigui temporis laudem;  
sed fixa, ad memoriam usq; sempiternam. *Mater Tua  
ELISABETHA, illustrissima, serenissimi Dania Regis filia, non  
tàm optima, quàm optimæ Principis idea, & spectamen*  
unde



undequaq; lucet: & ut diutissimè insuper luceat, omni-  
umq; bonorum divite copiâ floreat; animitus precor!  
Benè Poëta

*Natura sequitur semina quisq; sua*  
Et alter.

*Fortes creantur fortibus, & boni  
Bonis; nec imbellem feroces  
Progenerant aquila columbam.*

Cum igitur ex optimâ illâ stirpe, FRIEDERICE HUL-  
DERICE, prognatus sis: tantâ naturæ ac indolis bonitate  
emineas; quis TE *Trajano Meliorem* fore addubitet? Quis  
TE *optimum Principem, Patriæq; Patrem optatissimum* non  
speret? non expectet? *Bona educatio, si ullum aliud, in signe ad-  
miniculum, meritò habetur: quo & privatis & publicis rebus be-  
nè consulitur; adeoq; Piccolominei verbis, ut in semente tota  
spes messis posita est, ita totius reliquæ vitæ expectatio ab educa-  
tione prima ætatis pendet. Bona egregia, & quod Ethnico-  
rum etiam philosophi collaudârunt, thesauri hominibus  
divinitus concessi, bonæ artes ac literæ sunt; ut quæ constanter  
& honestè vivendi præcepta suppeditant, quæ ad modestiam,  
magnitudinemq; animi erudiunt, quæq; ab animo, tanquam ab o-  
culis, caliginem dispellunt, ut omnia supera, infera, prima, ultima,  
media videamus.* Hic quàm spaciosus mihi dicendi campus  
aperiatur, si pleno gradu ingredi, ac minutatim ad TE o-  
mnia, *Princeps Clementissime*, accommodare cupiam!  
Quàm benè! quàm castè! quàm modo principibus con-  
digno eductus atq; institutus, à teneris statim annis sis:  
quàm præstantia Pietatis ac Honestatis præcepta, cum la-  
cte quasi-materno, hauseris: quàm augusta, & stupenda  
Virtutum exempla, vel in propriâ aulâ habueris? quàm  
eximios morum ac vitæ magistros doctoresq; audiveris:  
(nominatim Clarissimum virum *D. Diepholdium*; & Con-  
sultiss: *Utriusq; Juris interpretem D. Doct: Peparinum*) non  
opus



opus, ut prolixo verborum circuitu, hoc loco exponam, cum Fama publica, adeòq; res ipsa luculento nobis esse possit testimonio. Exindè, quemadmodùm agricola ex floribus arborum fructus præfagire solent: Ita jam tum ex primâ illâ ætate tam eleganter traductâ, facile fuerit divinare opimam & optimam quandam frugem, & maturitatem omnium Virtutum. In aurâ Caroli IV. bullâ inter alia, Principum filiis etiam injungi memini, ut linguam Latinam, Gallicam, Italicam, & aliarum Germaniæ vicinarum gentium addiscant. Quàm benè Tu; Illustrissime FRIEDERICE HVLDERICE, fecisti! quàm multiplici linguarum cognitione, multis vel inferiorum natalium palmam facile præripis! quàm omnibus scientijs, quæ maximè ad expeditionem, gubernandi rationem, & incolumitatem Reipublicæ faciunt, excultus ingrederis! Quàm multos annos, eum in finem, varias Academias, Urbes, & regna Germaniæ, Angliæ, Galliæ, felici pede calcâsti; insedisti! *Humiles istæ, inquit Lipsius, & plebeia animæ domi resident, & adfixæ sunt suæ terræ; Illa divinior est, quæ celum imitatur, & motu gaudet, quæ*

*Πολλῶν ἀνθρώπων ἰδεῖν ἀστὲρ καὶ νόον ἔγνω.*

Nemo Parente Tuo Illustrissimo doctior, inq; politicis & Jurisprudentiâ non modò, sed in alijs etiam disciplinarum generibus exercitior per Germaniam habebatur. Nemo erat, qui literatos, & benè de se meritos majori benevolentia & amore prosequeretur. Nemo, qui plus subsidij egenis Musis erogabat. Hujus igitur Tu laudabile exemplum, bonorum omnium acclamatione, & tripudio, assequeris, immò etiam, quod spes, & commune votum est,

*ubi jam firmata virum Te fecerit ætas;*  
superabis. Memini, quàm non ita pridem, summum illud poëtarum decus, FRIDERICVSTAVEMANNVS, Te lætus lubensq;



bensq; eo nomine compellabar. **FRIEDERICE HVLDERI-**  
**CE**, inquebat,

*magni Patris emule fili:*  
certè videntur bonarum literarum alumni, concussis quasi signis,  
ad complectendum Musagetem suum, obviam **TIBI** procedere;  
**TIBI** inquam **PRINCEPS IUVENTVTIS**, quem modò ab Aca-  
demiis & Regibus gentium exteris, reducem, Saxones ab **IVLIA**  
illà Tuà mihi nunciant, & magnum **GERMANIAE** Principem  
spondent, & gratulantur. Hæc ille: Nos meritò nunc itera-  
mus, nec modò ab exteris **TE** oris reducem, sed & saluum  
atq; incolumem, sed & avitas, paternasq; ditiones, bono  
cum **DEO** adeptum, feliciter congratulamur. **Sis TRAIANO**  
**MELIOR!** **Sis AVGVSTO FELICIOR!**

*Aggredere ò magnos (ita fert jam tempus) honores,  
Chara DEUM suboles, magnum Patris incrementum;  
Aspice convexo nutantem pondere mundum,  
Terrasq; tractusq; maris, celumq; profundum.  
Aspice venturo letentur ut omnia sæclo.*

Liceat enim mihi optanti **AVGVSTI** felicitatem, etiam  
huc repetere versus in honorem, **D. AVGVSTI CAESARIS** à  
summo olim Poëtarum coryphæo factos. **AVGVSTVS CAE-**  
**SAR** is erat sub cuius imperio, humani generis sequester,  
**CHRITVS IESVS**, in hanc lucem editus est, eiusq; doctri-  
na celestis inclaruit. Idemq; **AVGVSTVS**, ubi oraculum  
hoc Apollinis acceperat.

*Me puer Hebraeus, qui Divis imperat, ex hac  
Aede fugat, rursus penetrare & cogit ad Orcum!  
Quisquis ades tacitus nostris discedito ab aris.*

Ideò aram erexit in capitolio, his verbis inscriptis, **ARA**  
**PRIMOGENITI DEI**. Ita sub Tuà gubernatione, sub Tu-  
o Imperio, **Celsissime PRINCEPS, CHRISTVS IESVS, Re-**  
**dem-**



*demtor noster unicus, subindè magis nascatur; aut potius  
noscat; Ejus regnum latiùs extendatur; Anti-Christi do-  
minatus magis magisq; atteratur; & pereat: Veræ Reli-  
gionis syncera puritas, ampliùs efflorescat, propagetur;  
Contra Impietas, Falstas, Superstitio, & Idololatria peni-  
tùs penitùsq; excindatur, & pessùm eat: quomodo iti-  
dem sub AVGVSTO, nascente DOMINO, oracula defe-  
cisse, Dæmonas in fugam conversos esse, perhibent Histo-  
rici. AVGVSTVS CAESAR ejus erat felicitatis, ut pa-  
ce terrâ mariq; partâ, imperio omnium gentium constitu-  
to, IANVM QVIRINVM, qui bis tantùm clausus fue-  
rat, ipse tertium clauserit, & ita nomen suum omnibus  
bonis amabile, malis formidabile: utrisq; admirabile  
effecerit. Nisi omnia me fallunt, imitaberis FRIE-  
DERICE HVLDERICE!*

*Paxuna triumphis*

*Innumeris potior.*

*Nihil dulcius, nihil optattus, quàm Pax; quâ non modò ij,  
quibus sensum Natura dedit, sed etiam tecta atq; agri letari vi-  
dentur. Decet Regalis apicis curam, inquit Cassiodorus, genera-  
litate custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur,  
si ab omnibus PAX ametur. Quid est enim, quod Principem me-  
liùs predicet, quàm quietus populus? concors Senatus? & tota  
Respublica morum honestate predata? Hæc ille. Cum verò  
hoc excellentissimum & longè optimum PACIS do-  
num, non in hominum manu positum sit; sed ab uno  
DEO, PACIS CONCORDIAEQ; OMNIS PRINCIPE,  
& autore unico, proficiscatur; Eum propterea ardenti-  
bus votis imploremus & veneremur; & tantò quidem  
magis, quò hoc extremum, finiq; quàm maximè confine  
mundi seculum, iniquius ac miserius est; ut in quod o-  
mnia tumultuum, seditio num, ac bellorum genera, ut de  
cæteris malis nihil dicam, conspirare quasi videantur.*

E

Da



Da ò *AETERNA PAX*, seculum hoc nostrum pacatum eat, & tranquillum: absit Eris: adsit Eros: sit Pax; & Concordia in choro, in foro, & in toro.

*Da dulcis Pax arva colat, Pax candida primùm*

*Duxit araturos sub iuga curva boves:*

*Pax aluit vites: Pax succos condidit uvæ:*

*Funderet ut nato testa paterna merum.*

Neq; verò *AVGVSTVS CAESAR* tantummodò Pacis tempore felicissimus habebat: Sed etiam cum necessitas belligerandi imponeretur, hostibus superatis, victorias sanè multas ac nobiles reportavit: Indeq; etiam tres egit triumphos curules continuo triduo, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, atq; adeò omnium, tam summorum, quàm infimorum & oculos, & ora in se convertit. Idem Tibi *FRIEDERICE HVLDERICE*, benignissimâ DEi bonitate eveniat precor! Hostes ac inimicos Tuos; felici semper brachio, vincas. Quicquid Pictati adversum: Quicquid Iusticiæ infestum: quicquid Honestati infensum, è medio tollas, & quantum fieri potest, stirpitùs evellas? *Nihil enim melius; nullum spectaculum DEo hominibusq; gratius, quàm si vitia, si scelera è societate humanâ exstirpentur ac superentur.* Hæc nobilissima omnium victoria; Hic splendidissimus triumphus: Hæ sunt scalæ, quibus maximi retrò-seculorum Principes in celum ascenderunt: Hæ sunt notæ, quibus nomina, laudesq; suas memoriæ posteritatis æternæ consecrârunt. Sed & *AVGVSTVS CAESAR*, non modò feliciter, sed etiam satiùs diu, nempè *annos sex & quinquaginta continuos*, quòd hodièq; rarum est, imperio suo præfuit. Idem T. Celsit: prospero successu contingat, *FRIDERICE-HVLDERICE*: *Diu vivas, diu ac benè valeas, & vireas; uti Laurus juxtâ limpidas aquarum scaturigines virescit!* Sit gubernatio Tua  
fortu-



*fortunata; constans; diuturna; omniumq; bonorum flumine abundans!* Varij hoc lethifero auctumno, per vniversam propè Europam, morbi ac contagia funesta serpunt: multaq; hominum millia passim trucidant. Sed DEVM quaeso, ab aulâ Tuâ illustri, omniumq; Tuorum domicilijs longissimè depellat. Multæ hoc infido tempore fraudes, ac insidiæ, optimo cuiq; struuntur, maximè in superiori dignitatis ac eminentiæ gradu constitutis, prout est maleficatorum hominum efferata, formidanda, & execranda malitia. Sed DEVM quaeso; eas clementer avertat; inq; autorum capita, pro meritis, convertat. Multa pericula ex omnibus fermè angulis mundi nobis impendent, multa bellorum telæ subtexi videntur. Sed DEVM quaeso: ex omnibus illis malis TE forti manu eripiat, & quem semel nobis dedit, so spitem, diuq; incolumem nobis conseruet. Deniq; AVGVSTVS CAESAR, ad eò feliciter, ad eò placidè, omnibus gratus, nemini gravis, imperium tam diu tenuit, ut consentiente omnium suffragio audierit, PATER PATRIAE. Idem TIBI quoq; eulogium detur, FRIEDERICE - HVLDERICE. *Magnum ac dulce nomen Patris est: Sed longè majus & dulcius, aut potius maximum, & omnium dulcissimum est nomen Patris Patrie. Quanto videlicet Patria, quàm liberi, jucundior, atq; prestabilior existit, censente M. Tullio. Chari sunt, inquit, Liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates, patria una complexa est: pro quâ quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?* Vidit hoc optimus Parens Tuus HEINRICVS JVLIVS, cujus non solummodò symbola:

*Honestum pro Patriâ. Pro Patriâ consumor:*

Sed etiam ejusdem benè ac laudabiliter facta, pro salute Patriæ, in ore ac corde omnium bonorum voluntantur. Age, age *optimi Patris optime fili*; idem cum DEO faci-



as, Parentis vestigia libente calce premas: Patriam ames,  
Patriam ornes; Patriam amplifies, quantum potest, maximè.  
TE rursus Patriapium; TE Justum, TE fortem, TE prudentè,  
TE benignum, TE clementem PATREM PATRIAE, videat,  
experiatur. TE docti, & indocti, TE juvenes, viri, senes, PA-  
TRIAE PATREM cantent, celebrent. Teq; , uno verbo,  
TRAIANO MELIOREM, AVGVSTO feliciorè, tam præ-  
sens hæc, quàm ætas secutura cernat, prædicet; Ita voyco:  
Ita voyco. Det votum hoc meum ratum esse, qui dat o-  
mnia, qui Rex Regum ac Principum Princeps optimus  
maximus JEHOVA!

DIXI.





ARB: 153647

ULB Halle 3  
002 426 935



R

VD 17









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13



IN METZI SECVN-  
I ET P.L.C.  
TIO,  
Obitu  
Celsissimiq; Prin-  
omini, Dn.  
CI IVLII,  
diensium Episcopi,  
n ac Lunæburgen-  
ucis, &c.  
olim!) clementissimi,  
bita  
tri Juliã  
AESTEDI  
br. Anno 1613.  
Comiti N...  
Domino in  
Principib...  
pate de...  
COBI LUCL.

3

